C. SUP. 6. Pl. 5.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FIORENSE
43
9 A
2

Digitized by Google

D. O. M.

SUMMA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ, ET SCOTISTICÆ

IN QUATUOR PARTES ſcripta, & digeſta breviter, & clarè

PER Fr. SEBASTIANUM DUPASQUIER,
Minor. Convent. ſacræ Theolog. Doct. ac Profeſſor. Emeritum, Provinciæ D. Bonav. Exprovincial. primar. & Convent. Camberienſis Alumnum.

TOMUS I. LOGICA.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCV.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

AD
PHILOSOPHIÆ
SCOTISTICÆ
CANDIDATOS.

DIU eſt, ex quo amici ſolicitarunt me ad Philoſophiam Tyronibus noſtris ſcribendam, quæ tàm Regentes, quàm ſtudentes ab importuno levaret labore, illos dictandi, iſtos ſcribendi, in quo magna, & pretioſa pars temporis inſumitur, quod poſſet utilius in exercitationibus impendi. Huc uſque parere non permiſerunt negotia, & officia Religioſa, quibus à ſcholis avulſus ſum per triginta circiter annos, aut concionum occupatio, aut alia ſcriptionis materies altioris momenti, & ordinis. Deterrebat prætereà ingens numerus inſignium magiſtrorum, etiam Scotiſtarum, qui de Philoſophia eximiè adeò ſcripſerunt noviſſimè, & curſus integros ad mentem Doctoris ſubtilis ediderunt, & ad quorum fimbriam attingere non præſumo, ideoque ſu-

a 2 per-

pervacaneum, intempeſtivumque, ne dicam importunum, reputabam hunc laborem, & ut verum fatear, non mediocriter pigebat poſt longam adeo ab his ſpeculationibus quietem, & diſtractionem reditus ad illas: præterquam quòd imparem me operi agnoſcebam. Denique tamen amicorum votis cedere oportuit.

Scripſit Doctor ſubtilis noſter tractatus plures Philoſophicos, ſive commentando Ariſtotelis libros, fuit quippè illi Philoſophorum principi addictiſſimus, ſive ex propria mente quæſtiones doctiſſimas: v. g. *Quæſtiones in univerſam Logicam*, *de univerſalibus*, *de prædicamentis*, *&c. de anima*, *de Metaphyſica*, præter commentaria *in 12. libros Metaphyſicæ*; *alias miſcellaneas*, ſcripſit de *Rerum principio*, *de primo principio*; *Theoremata*, *Collationes*, libros quatuor *de Meteoris*. Circunferuntur etiam *Quæſtiones in octo libros Phyſicorum*, quos elucidavit Franciſcus *Pitigianus*: ſed hoc opus communiter rejicitur *ut ſpurium*, & propterea ne illud quidem citandum in deciſionibus meis. Reliquas Philoſophiæ materias, & opiniones ejus collegi ex libris ſententiarum utriuſque ſcripti, ſc. *Oxomienſis*, & *Pariſienſis*, quod dicitur *Reportata*, & ex *Quodlibetis*.

Scripſerunt deinceps ad ejus mentem innumeri tum tractatus particulares, tùm Theoremata, & quæſtiones controverſas, tum curſus integros, ut inter antiquos *Tataretus*, *Jo. de Magiſtris*, *Pariſienſes*, & alii, quos vide-

re

re non licuit, & inter nuperos, *Maſtrius*, & *Bellutus*, *Columbus*, *Sonnenus* ex noſtris, & *Poncius*, *Fraſſen*, *Rabeſannus*, *L. Lamaſares*, *Boivin*, & fortè alii. Sed eorum aliqui nimis prolixi, ut duo primi, qui tria non parva dederunt volumina de Logicis, Phyſicis, & Metaphyſicis, quibus legendis vix ſufficerent Tyronibus tres anni; alii compendiosè nimis, ut alii minùs Scotiſticè, ut dicitur de Poncio, alii poſitivè potiùs, quàm Scholaſticè, alii rariores evaſerunt. Singulis tamen debetur laus non exigua, nec ulli detrahere, imò cunctis me plurimum debere fateor, quippe qui mihi in his præluxerunt: nec illis me comparare auderem, utinam aſſequi potuiſſem.

Quoad Titulum, prorſus arbitrarius eſt, & abſque peculiari conſilio. 1. Dixi *ſummam Philoſophiæ*, non quòd ſit ſimplex Compendium, ſed quia partes, & tractatus omnes, Philoſopho Religioſo, & ad Theologiam aſpiranti neceſſariò complectitur. 2. *Scotiſticam*, quia, quantum potui, adhæſi ſubtiliſſimi Doctoris mēti, & quod pauci ſatis accuratè faciunt, textus, & ipſiſſima ejus verba ab initio ſingularum concluſionum exſcripſi, per quæ conſtare viſum fuit de ejus mente. Et quia non omnes habent opera ejus recenter impreſſa, in quibus quæſtiones dividuntur per numeros ad marginem, alii verò non habent antiqua exemplaria, in quibus eædem quæſtiones dividuntur per litteras Alphabeti ſimiliter ad marginem: reperient utrique &

litteras, & numeros: & quidem citationes ad marginem poſui, ne fatigaretur lectoris animus per interpoſitionem hujuſmodi citationum, & litterarum, & notarum Arithmeticarum. 3. Addidi *Scholaſticam*, quia curavi ſemper in forma argumentativa procedere, tum in aſſerendo, & probando, tum in opponendo, tum in reſpondendo. Nam ſcribo Tyronibus, ut eos ad argumentandum formem, non magiſtris, qui hoc non egent adjumento.

Unum Scotum citavi, ejuſque ſententiam aſſerui, aliorum, ſive ſequacium, ſive adverſantium litanias non contexui, nec variarum opinionum ſeriem, & hiſtoriam, niſi fortè ubi neceſſarium id viſum eſt, ad majorem illius, quam amplexus ſum, evidentiam, & firmitatem, quia brevitas moderata, cui ſtudebam, illas narrationes non patiebatur, & potiùs oppriment, quàm levent, ſtudentium animos. Imò neque adverſantium opinionum confutationem niſi raró proſequtus ſum ob eandem rationem.

Abſtinui à novitatibus Carteſianis, Gaſſendianis, & ſimilibus; quia Scotus à novitatibus abhorruit, Ariſtotelem, & ſolidam, maturamque ſequutus antiquitatem. Quippe minimè rationi conſentaneum videtur, & multò minùs utile Tyronibus, tritas, & celeberrimas Philoſophandi methodos, & regulas, ac principia deſerere ſtudio inviarum, & inanium opinionum, quæ fundamenta non

ha-

habent extra imaginationem quorumdam ſpeculativorum. *Sunt hodie, quæ vigent ingenia* (inquit non nemo) *quibus fœtet, quidquid benè cęteris ſapientibus hactenus oluit, & bene olet, quod cęteri exhorreſcunt, non vident vitium mentis, quo adverſus optimas, & antiquiſſimas notiones à Deo nobis inſitas naturalis judicii æquitas infirmatur*. Quibus illud Sapientis objecerim: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui:* & illud *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*.

Totum opus in quatuor exiguos Tomos diſtribui, ut faciliùs diſcipulis eſſent ad manum, exemplo patris Boivin, 1. Logicam, 2. Metaphyſicam, 3. Phyſicam in genere, ea ſc. quæ traduntur poſt Ariſtotelem in octo libris *de Phyſico auditu*, 4. denique Phyſicalia, ſeu de corporibus Phyſicis. Et ne hic Tomus nimiùm turgeat, fortè meteora ponentur ad finem, ſcilicet poſt Metaphyſicam.

Moralia non ſcripſi, tum quia plura non patiebatur Tomorum quatuor juſta mediocritas, tum maximè quia ſcribo ſtudentibus Religioſis ad Theologiam properantibus, in qua quæſtiones omnes Philoſophiæ moralis examinantur, & principiis tam Philoſophicis, & naturalibus, quàm Theologicis, & ſupernaturalibus, exceptis fortè aliquot prooemialibus. Si autem Deus dederit, Tomum addam quintum, qui totus erit de hujuſmodi

materiis, & inſerviet tam Philoſophis, quàm Theologis.

Hæc vos, Chariſſimi Philoſophiæ Candidati, monitos volui de ſcribendi conſilio, & ratione. Si quid arriſerit, benedicite Domino Deo, qui dedit & velle, & perficere, ab eo eſt, quidquid bene eſt, ſi quid non placuerit, meum eſt, *qui homo ſum*, & *nihil humanum à me alienum puto*, cujuſmodi ſunt errores, peccata, & mendacia: interim ignoſcite. Orate pro me.

Omnia, judicio, & correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ penitùs ſubjecta volo. Valete.

IN-

INDEX.

DISPUTATIONUM, & Quæſtionum totius primæ hujus partis, ſeu Logicæ.

PROLUSIO I. *Elementa Philoſophica.* pag. 1. *De Philoſophia in univerſum* p. 2.

PROLUSIO II. *De Terminis incomplexis, ſeu ſimplicibus.* p. 5

§. I. *Quid ſit terminus.* ibid.

§. II. *Quotuplex ſit terminus, & primò de termino mentali, vocali, ſcripto, ſignificativo, Categorematico, ſyncategorematico, complexo, incomplexo, primæ, & ſecundæ intentionis.* p. 6.

§. III. *De aliis terminorum ſimplicium ſpeciebus; De concreto, & abſtracto, denominante, connotativo, & relativo.* p. 8

§. IV. *De Terminis finito, infinito, materiali, formali, univoco, æquivoco, poſitivo, negativo, univerſali, communi, ſingulari, tranſcendente, & limitato.* p. 11

§. V. *De terminis Categoricis, ſeu prædicamentalibus.* p. 13

§. VI. *De terminorum collatione inter ſe*, ſeu *de pertinentia, & oppſitione terminorum.* p. 15

PROLUSIO III. *De terminorum affectionibus.* p. 16

§. I. *De ſuppoſitione terminorum.* ibid.

§. II. *De aſcenſu, & deſcenſu.* p. 18

§. III. *De ſtatu, & diſtractione.* p. 19

§. IV. *De ampliatione, reſtrictione, alienatione, diminutione.* p. 20

PROLUSIO IV. *Explicantur plures termini uſu frequentes.* p. 21

PRO-

PROLUSIO V. *De terminis complexis*, ſeu *propoſitionibus*. p.27
§. I. *De nomine*, *& verbo*. ibid.
§. II. *De oratione*, *& enuntiatione*. p.9
§. III. *De propoſitione hypothetica*, *quid ſit*, *& quotuplex*. p.33
§. IV. *De propoſitione Modali*. p.33
§. V. *De propoſitione exponibili*. p.35
§. VI. *De oppoſitione propoſitionum ſimplicium*. p.36
§. VII. *De æquipollentia propoſitionum*. p.39
§. VIII. *De converſione propoſitionum ſimplicium*. p.40
PROLUSIO VI. *De modo ſciendi*. p.41
§. I. *De diviſione*, *quid*, *& quotuplex ſit*. p. 42
§. II. *De definitione*, *quid*, *& qualis ſit*. p. 43
§. III. *De diſtinctione*, *& identitate*. p.44
§. IV. *De argumentatione*, *quid*, *& quotuplex ſit*. p.46
PROLUSIO VII. *De ſyllogiſmo*, *partibus*, *& ſpeciebus ejus*. p.48
§. I. *Quid*, *& quotuplex ſit ſyllogiſmus*. ibid.
§. II. *De partibus*, *& materia ſyllogiſmi*. p.50
§. III. *De forma ſyllogiſtica*. p.51
§. IV. *De modis ſyllogiſticis*. p.52
§. V. *De principiis*, *ac regulis generalibus ſyllogiſmi*. p.55
§. V. *De regulis ſingularum figurarum*. p. 60
PROLUSIO VIII. *De reductione ſyllogiſmorum*. p. 61
§. I. *De reductione per oſtenſionem*. ibid.
§. II. *De reductione per expoſitionem*. p.62
§. III. *De reductione per impoſſibile*. p.63

PRO-

PROLUSIO IX. *De ſyllogiſmo demonſtrativo, Topico, & Sophiſtico.* p.66
§. I. *De demonſtratione.* ibid.
§. II. *De ſyllogiſmo topico, dialectico*, ſeu *probabili.* p.67
§. III. *De locis topicis.* p.68
§. IV. *De locis intrinſecis.* p.69
§. V. *De locis extrinſecis.* p.71
§. VI. *De ſyllogiſmo fallaci*, ſeu *ſophiſtico, falſigrapho, & fallaciis.* p.74
PROLUSIO X. *De inventione medii.* p.78
PROLUSIO XI. *De methodo.* p.80
PROLUSIO XII. *Leges diſputationis Philoſophicæ.* p. 82.

Philoſophiæ Scotiſticæ Pars I. Logica.

DISPUTATIO I. *De natura, & exiſtentia Logicæ.* p.85.
QUÆST. I. *De nominibus Logicæ.* p.86
Q. II. *An, & quid, & quotuplex ſit Logica.* p.87
Q. III. *Qualis ſit Logica. Num ſcientia, an Ars.* p.94
Q. IV. *Qualis ſcientia ſit Logica, num realis, an rationis.* p.103
Q. V. *An Logica ſit practica, an ſpeculativa.* p.107
Q. VI. *An Logica ſit ſcientia communis, & una.* p.111
Q. VII. *De neceſſitate Logicæ.* p. 116
Q. VIII. *De cauſis extrinſecis Logicæ; de illius origine, & fine.* p.121
Q. IX. *De ſubjecto, ſeu objecto Logicæ.* p.125
Q. X. *De Logica humana in ordine ad actus ſupernaturales; De Angelica, & divina.* p. 145
DISPUTATIO II. *De ente rationis.* p.147

Q. I.

Q. I. *Quid ſit ens rationis.* ibid.
Q. II. *An dentur entia rationis?* p.149
Q. III. *Quotuplex ſit ens rationis.* p.153
Q. IV. *De proprietatibus entis rationis, an, & quæ ſint.* p.157
Q. V. *An negationes, & privationes ſint entia rationis?* p.161
Q. VI. *De donominationibus extrinſecis, an ſint entia rationis.* p.163
Q. VII. *An primæ, & ſecundæ intentiones ſint entia rationis.* p.170
Q. VIII. *De cauſis entis rationis, num quas habeat.* p.175
Q. IX. *De cauſa effectrice entis rationis, quænam potentia efficiat illud.* p.177
Q. X. *Per quos actus intellectus fiat ens rationis.* p.184
Q. XI. *An Deus cognoſcat, & faciat ens rationis.* p.187
Q. XII. *An Angeli faciant ens rationis?* p. 189
DISPUTATIO III. *De univerſalibus in communi?* p. 190
Q. I. *Quid; & quotuplex univerſale?* p.191
Q. II. *An detur univerſale.* p.193
Q. III. *De unitate univerſalis, quid, & qualis ſit.* p.199
Q. IV. *De aptitudine univerſalis.* 213
Q. V. *An detur univerſale à parte rei.* p. 217
Q. VI. *De cauſa effectiva univerſalis, per quam operationem natura accipiat univerſalitatem formalem Logicam.* p.220
Q. VII. *De prædicabilitate univerſalis. Quomodò univerſalia prædicentur de ſuis inferioribus.* p.225
Q. VIII. *Quotuplex ſit univerſale.* p.232

Q. IX.

Q. IX. *An diviſio univerſalis ſit generis in ſpecies*, ſeu *An univerſale ſit univocum illis quinque*. p.237

DISPUTATIO IV. *De univerſalibus in particulari*, p. 240

Q. I. *De genere: An, & quid ſit genus*? ibid.

Q. II. *Utrum genus poſſit conſervari in una ſpecie*. p.248

Q. III. *Quomodò genus reſpiciat ſua inferiora*. p.252

Q. IV. *De ſpecie*. p.260

Q. V. *De individuo*. p.267

Q. VI. *De differentia, quid, & quotuplex ſit*. p.274

Q. VII. *Sub quo reſpectu differentia ſit univerſalis*. p.278

Q. VIII. *De proprio*. p.282

Q. IX. *De accidente*. p. 291

DISPUTATIO V. *De antepredicamentis*. p.295

Q. I. *De æquivocis*. ibid.

Q. II. *De univocis*. p.298

Q. III. *De denominativis*. p.302

Q. IV. *De analogis*. p.308

Q. V. *De reliquis antepradicamentis. De duabus diviſionibus, & regulis prædicamentalibus*. p.311

DISPUTATIO VI. *De prædicamentis in communi*. p.312

Q. I. *Quid, & quot ſint prædicamenta*. p. 313

Q. II. *De conditionibus entis prædicamentalis*. p.317

Q. III. *De diſtinctione prædicamentorum inter ſe*. p.327

DISPUTATIO VII. *De ſingulis prædicamentis, &* 1. *de ſubſtantia*. p.331

DISPUTATIO VIII. *De ſex ultimis prædicamentis*, ſeu

ſeu de relationibus extrinſecùs advenientibus p. 339

Q. I. *An, & quid ſit relatio extrinſecùs adveniens.* ibid.

Q. II. *De ratione conſtitutiva ſex ultimorum prædicamentorum.* p.344

Q. III. *De actione.* p.346

Q. IV. *De paſſione.* p.354

Q. V. *De ubi.* p.356

Q. VI. *De ſitu.* p.360

Q. VII. *De quando.* p.363

Q. VIII. *De habitu.* p.364

DISPUTATIO IX. *De poſtprædicamentis.* p.366

Q. I. *De oppoſitis.* ibid.

Q. II. *De prioritate, & poſterioritate.* p.368

Q. III. *De ſimultate, & modis ſimul.* p.369

Q. IV. *De motu, & ſpeciebus ejus.* p.370

Q. V. *De habere, ſeu modis habendi.* ibid.

DISPUTATIO X. *In Libros de Interpretatione*, ſeu, *de enuntiatione* p.371

Q. I. *De ſigno, quid, & quotuplex.* p.372

Q. II. *De vocibus, quid ſint. An ſignificent res, an conceptus.* p.376

Q. III. *Aliquot dubia circa voces, & earum vim ſignificandi.* p.381

Q. IV. *De enuntiatione, propoſitione, & ejus veritate.* p.384

Q. V. *An propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam.* p.389

Q. VI. *De veritate propoſitionum de futuro contingenti.* p.392

Q. VII. *An propoſitio ſit una ſimplex qualitas.* p.397

DISPUTATIO XI. *De argumentatione*, ſeu *ſyllogiſmo in communi.* p.399

Q. I. *An concluſio ſit de eſſentia ſyllogiſmi.* ibid.

Q. II. *An idem actus ſit aſſenſus concluſionis, & præ-*

& præmiſſarum. p.401
Q. III. *Quomodò aſſenſus concluſionis dependeat ab aſſenſu præmiſſarum*. p.404
Q. IV. *An aſſenſus præmiſſarum determinet ad aſſenſum concluſionis*. p.410
DISPUTATIO XII. *De demonſtratione*. p.415
Q. I. *An, & quid ſit demonſtratio*. ibid.
Q. II. *De præcognitis ad demonſtrationem requiſitis*. p.417
Q. III. *Quotuplex ſit demonſtratio*. p.420
Q. IV. *De præmiſſis demonſtrationis*. p.424
Q. V. *De medio demonſtrationis*. p.431
Q. VI. *De regreſſu demonſtrativo, & circulo*. p.436
DISPUTATIO XIII. *De effectu demonſtrationis*, ſeu *de ſcientia*. p.439
Q. I. *An detur ſcientia*. ibid.
Q. II. *Quid ſit ſcientia*. p.441
Q. III. *De objecto ſcientiæ*. p.445
Q. IV. *Quotuplex ſit ſcientia, unde ſit ejus unitas, & diſtinctio*. p.450
Q. V. *De diviſione ſcientiæ in practicam, & ſpeculativam*. p.460
Q. VI. *De ſubalternatione ſcientiarum*. p.468
Q. VII. *De oppoſitione ſcientiæ cum opinione, & fide*. p.472
Q. VIII. *An ſcientiæ ſint Reminiſcentiæ*. p.481

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa nel Libro intitolato: *Summa Philoſophiæ Scholaſticæ, & Scotiſticæ, &c. in quatuor partes ſcripta, &c. per Fr. Sebaſtianum Dupaſquier* non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Zuanne Manfrè Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 29. Luglio 1704.

(*Girolamo Venier Kav. Pr. Reff.*
(*Marin Zorzi Reff.*

Agoſtino Gadaldini Seg.

SUM-

SUMMA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

Elementa Philoſophica.

QUÆCUNQUE magna ex minimis conſtant, & exurgunt, quæ ſunt veluti elementa, ex quibus componuntur, & in quæ reſolvuntur. Ingens terræ moles, minutis arenæ ſabulis; imò & immenſa totius orbis machina, & corpora univerſa ex inſenſibilibus atomis coaleſcunt, ut quidam volunt. Syllabis, & apicibus orationes excreſcunt, atque amplificantur, & deſinunt in illa. Natura rerum parens, & ars magiſtra in tenuitatis gremio tirocinium ponunt, & à minoribus ad majora progrediuntur. Quid mirum, ſi Philoſophia, ſcientiarum apex, ſuæ magnitudinis in quibuſdam apicibus, & deſpicabili terminorum tenuitate poſuerit fundamenta? Ejus ſplendor lineis quibuſdam, & craſſioribus verbis continetur, quę niſi primùm candidatus intellexerit, ejus veritates nunquam attinget. Ideò philoſophicis exercitationibus prǽmitti ſolent hæc rudimenta, ut iis imbuti leviter tirones vegetiùs deinceps cum difficultatibus luctari, eaſdemque ſuperare poſſint.

Hanc autem proluſionem Magiſtri variis titulis inſcripſerunt. *Summulas* quidam vocant: *Epitomen* nonnulli: *Dialecticas inſtitutiones* multi: *Logicę compendium* aliqui, vel *Apparatum ad Logicam*, aut *Logicam parvam*. Nos *Elementa philoſophica* diximus poſt alios; quia ſicut omnia ſuis elementis conſtant, ſic Philoſophia ſuis terminorum initiis, quaſi elementis coaleſcit. Et hæc aliquot proluſionibus expediemus, in paragraphos, pro ut res tulerit, diſtributis.

PROLUSIO PRIMA

De Philoſophia in univerſum.

DE illius nomine, origine, dignitate, partibus, ac fine. Philoſophia juxta etymologiam nominis aliud nihil eſt, quàm ſtudium, & amor Sapientiæ; &, ut exactiùs communiter definitur, *rerum divinarum, & humanarum cognitio per cauſas*, ſeu principia. Si autem ea principia, ſeu cauſæ, per quas divina, & humana cognoſcuntur, ſint altiſſimæ, & univerſaliſſimæ, illa cognitio dicitur *Sapientia*: ſi principia ſint ſupernaturalia, dicitur *ſapientia ſupernaturalis*, ſeu *Theologia*: ſi verò cognoſcantur ex principiis, ſeu cauſis purè naturalibus, vocatur propriè *Philoſophia*, ſeu *ſapientia naturalis*.

Originem verò impium eſset aliunde quærere, quàm à Deo, [1] *qui docet hominem ſcientiam*, & qui [2] *eſt lux vera illuminans omnem hominem*, primaque regula, ſecundùm quam, & ex qua formatur, perficiturque ſapientia, [3] *quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia, & ſcientia*. Denique omnis ſapientia [4] *à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper*. Illam infuderat Adamo, & inde ad poſteros, ſed horum incuria ſic obſolevit, ut qui longo poſt eum tempore vixerunt, non ſine improbo labore illam ſub ignorantiæ tenebris defoſſam invenire, & reſtituere potuerint, & quidem valdè obſcuram.

Illius inventionem, ſeu potiùs reſtaurationem ſibi vendicant Græci; ſed veriùs adſcribimus eam primùm Hebræis, tum Chaldæis, & Ægyptiis, atque Bactrianis, inde ad Græcos, ad Latinos, aliaſque nationes. Dialecticam inveniſse fertur Zeno Eleates, Naturalem Philoſophiam Thales Mileſius, Moralem Socrates, Aſtrologiam Atlas, & ſic de aliis; nec enim hìc agimus Hiſtoricos.

Præcipuæ Philoſophorum Sectæ nominantur vel à loco, ubi docebant, ut *Academici*, qui in gymnaſiis, his præluxit Plato, vel ab actione, & motu, ut *Peripatetici*, qui inter ambulandum philoſophabantur, horum caput Ariſtoteles, vel à magiſtro, ut Pythagorici, à Pytha-

[1] *Pſ.* 93.10. [2] *Joan.* 1. [3] *Prov.* 2. 6. [4] *Eccl.* 2.

thagora, vel à patria, ut *Cyrenaici*, à Cyrene patria Ariſtippi, vel à genere vitæ, ut *Cinici*, ſic dicti, quia more canum mordaces invehūtur in vitia, vel à fine, ut Hedonici, ſeu *voluptuarii*, quales *Epicurei*, qui etiam ab Epicuro Magiſtro habent nomen, vel à modo judicandi, ut *Ephectici*, *Sceptici*, & *Pyrrhonii*, qui in quærendo, & conſiderando toti erant, & de nulla re judicabant, ſed de omnibus dubitabant. Duas præcipuè Sectas diſtinguit S. Auguſtinus, Italicam ſcilicet, & Jonicam: illius caput dicitur Pythagoras: iſtius verò Thales Mileſius. Inſignis etiam fuit *Stoicorum* Schola, cujus author fuit Zeno Citticus. Hodie verò Peripatetica communior, & uſitatior eſt, eaque rurſus ſcinditur in *Thomiſticam*, à D. Thoma Principe, *Scotiſticam*, à Joanne Dunſio Scoto ſubtili Doctore, & noſtro, & *Nominalem*, ſub Okamo, aliaſque hujuſmodi, quæ in dies inſurgunt.

De dignitate Philoſophiæ non eſt, quòd dicam. Suppoſito enim, quòd ſit rerum humanarum, divinarumque notitia per cauſas, nihil eſt ea majus, aut ſublimius ex objecto: ſi oriatur ex Deo, ſitque divinæ ſapientiæ radius, & emanatio, nihil nobilius ex principio: &, ſi intendat hominis felicitatem, nihil melius ex fine.

Quis verò dubitet, hunc eſſe unicum Philoſophiæ ſcopum, ac finem, ut hominem Deo conformet, ac uniat? alium non agnoſcunt vel ipſi Ethnici, quid erit de Chriſtianis? Nam Ariſtoteles, non alium agnoſcit finem hujus ſcientiæ, quàm contemplationem veritatis: hæc autem vel Deus eſt, vel Deitatis aſſecutio. Plato ob id unum Philoſophiæ ſtuderi jubet, ut nos, Deumque noverimus, & ſecundùm hanc notitiã ad divinæ rectitudinis normam mores dirigamus, & ſic ad veram felicitatem perveniamus. [1] *Danda*, inquit, *ſemper eſt opera, ne quidquam ex his minùs perfectum doceatur, quod non illuc tendat ſemper, quò proficiſci omnia debent*. Nec in alio ſiſtendũ putat, quàm in Deo. *Nam*[2] ex ejus ſententia, *qui res iſtas pulchras exiſtimat, ipſam verò pulchritudinem, ſcilicet Deum, neque putat eſſe, neque ſi quis ducat, ad ejus perceptionem attingere poteſt; verè ſapere tibi videtur, an in ſomniis ludi? & tam lucu-*

A 2 lenter,

[1] *L. 7. de rep.* [2] *L. 5. in Phædone*.

lenter , quàm ab ullo Chriſtiano dici poteſt ; docebat , quòd, dum vivimus , proximè ad ſcientiam accedemus, ſi quàm minimum cum corpore commercium habuerimus , neque quidquam cum illo commercii habuerimus , niſi quantum ſumma cogat neceſſitas : neque hujus natura replebimur , ſed ab ejus contagione caverimus , quoad Deus ipſe nos ſolvat . Atque ita puri, atque ab ejus inſania liberati ,ut conſentaneum eſt, cum talibus erimus ,cognoſcemuſque per nos ipſos ſyncerum quodlibet , ideſt forſitan ipſum verum . Nam impuro quidem purum attingere nefas eſt .

Philoſophia communiter dividitur primò in *practicam* , & *ſpeculativam* : hæc in ſola veritatis contemplatione conſiſtit: illa regulas præſcribit ad mores honeſtè componendos. 2. *Practica* ſubdividitur in *Politicam* ,& *Oeconomicam* ,& *Monaſticam* ,ſeu *moralem* , de quibus ſuo loco. 3. *Speculativa* dividitur in *Phyſicam*, *Mathematicam*, *Metaphyſicam* , & *Logicam* , ſeu *Rationalem* . De his etiam ſucceſſivè , & ab hac poſtrema incipiemus , quæ eſt veluti cæterarum janua .

De exiſtentia Philoſophiæ nihil hìc dicam , illam ſuppono ex omnium hominum rationabilium conſenſu, & vel ipſa experientia,qua conſtat hujus Scientiæ ſtudioſos & de rebus humanis , ac divinis perfectiùs ſentire , ac diſſerere , & mores ſuos ad honeſtatis regulas meliùs componere .

Nec etiam hærendum eſt in illius utilitate,vel neceſſitate aſſerenda . Certum enim eſt , eam eſſe homini perneceſſariam , ſive privatus vivat , ſive publicis negociis , & adminiſtrationibus incumbat , ſive chriſtianè velit vivere. In primo enim ſtatu Philoſophia illuminat intellectum hominis, rationemque perficit , & voluntatem dirigit : illud habet homo per ſpeculativam , iſtud per practicam . In ſecundo, quia ſi homini privato rerum humanarum , divinarumque notitia eſt neceſſaria , ut proprias rectè ordinet actiones ; id longè verius eſt de publico ,ut ſe, & alios dirigat. Ideò Salomon petiit à Deo Sapientiam, ut poſſet regere populum ſibi commiſſum . In tertio etiam ſtatu neceſſaria eſt , ut per ratiocinationes humanas , quas Philoſophia homini Chriſtiano ſubminiſtrat , ſe ſe in fide corroboret , alios confir-

met,

met, & hæreticos confundat. Quia enim Philoſophia perficit rationem naturalem, ſic inſervit ad ſuſcipiendam, & inſinuandam, & tuendam fidem, quæ rationem elevat ad ſtatum ſupernaturalem. Sed de hoc in Theologia. Hæc de Philoſophia in genere proluſiſſe ſufficiat. Interim monemus cum Propheta: [1] *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, ipſe enim dat ſapientiam ſapientum.*

PROLUSIO II.

De terminis incomplexis, ſeu ſimplicibus.

U*Numquodque noviſſe cenſemur*, inquit Philoſophus, cum primas cauſas, & prima principia uſque ad elementa noverimus: principia verò cognoſcimus, addit Scotus, [2] *quatenus terminos cognoſcimus*: *ea* ſiquidem *perfectiſſima eſt notitia, quę habetur ex terminis perfectè cognitis*. Undè patet, quàm neceſſaria ſit terminorum cujuſcunque facultatis perfecta notitia. Dicamus igitur cum eodem Subtili Doctore: *O Deus, qui es terminus ſine termino, da nobis, ut rectè de termino loquamur.*

§. I.

Quid ſit terminus.

T*Erminus* phyſicè, & propriè loquendo convenit ſolis rebus corporeis per quantitatem diſpoſitis, explicatque limites cujuſcunque rei corporeæ, aut quantitatis, intra quos talis res continetur. Et hoc ſenſu deſcribi poteſt, *extremum alicujus rei, intra quod continentur omnia, quæ illius rei ſunt, & extra quod nihil ejus eſt*. Sic ultima duo puncta lineæ sũt ejus termini, prima, & ultima unitas numeri ſunt duo termini ejuſdem. Nos hìc loquimur de termino minùs propriè, & prout convenit operationibus intellectus, quæ ſuis etiam clauduntur limitibus. Nam quęlibet propoſitio, aſſertio, diſcurſus, enuntiatio,

[1] *Deut.* 2. [2] *In* 4. *d.* 47. *q.* 7. §. *hic primò Reſp. & in* 1. *diſt.*3. *q.*2. 5. *ad iſt.*

ſuo clauditur initio, & fine, unde *Terminus* apud Logicos, & prout hìc à nobis uſurpatur, deſcribi ſolet: *extremum propoſitionis*, vel *extremum, in quod reſolvitur propoſitio*, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur.

In prima definitione, dicitur *extremũ propoſitionis*, quia, ut dicebamus, quælibet propoſitio duobus terminis, ſeu extremis clauditur, ſcilicet ſubjecto à parte priori, & prædicato à parte poſteriori, v. g. *homo eſt animal*, vox, *homo*, eſt unum extremum, unus terminus, & vox, *animal*, eſt aliud extremum. In ſecunda verò definitione Philoſophus addit, ad majorem explicationem, *extremum, in quod reſolvitur propoſitio*, [1] *&c.* quia quælibet res in ea reſolvitur, ex quibus componitur, partes autem, ſeu extrema illa vocat *prædicatum*, & *ſubjectum*. Nam in qualibet propoſitione tria reperiuntur, duo termini, & copula. Primus terminus eſt *ſubjectum*, illud ſcilicet, de quo aliquid affirmatur, vel negatur, ut *homo* in allato exemplo, & illud, quod affirmatur, vel negatur, dicitur prædicatum, ut *animal*. Verbum autem ſubſtantivum *eſt*, aut aliud æquivalens, dicitur *copula*; quia copulat, & jungit in unam propoſitionem, & in unum ſenſum duos illos terminos, ut quid unum ſignificent.

Dixi, *verbum ſubſtantivum, eſt, aut aliquid æquivalens*: nam ſæpiùs alia verba ponuntur ejus loco, & loco prædicati, ſed ſemper æquivalent, & in illud ſubſtantivum reſolvuntur, ut cùm dicitur, *homo currit*, verbum *currit* vicem gerit copulæ; & prædicati, & reſolvitur in hunc ſenſum, *homo eſt currens*, & ſic de cæteris.

§. II.

Quotuplex ſit terminus, & primo de mentali, vocali, & ſcripto, ſignificativo, categorematico, ſyncategorematico, complexo, & incomplexo, primæ, & ſecundæ intentionis.

Solet autem dividi Terminus, primò in *mentalem*, *vocalem*, & *ſcriptum*. Primus eſt extremum *propoſitionis mentalis*, ſecundus, *vocalis*, & tertius ſcri-

[1] 1. *Priorum*.

ſcriptę. Propoſitio *mentalis* eſt actus ille internus, quo intellectus, ſeu mens unum de alio enuntiat, *vocalis* eſt ea, quæ voce profertur, & *ſcripta* eſt ea, quæ ſcripto exaratur. Propriè autem, & in rigore ſola propoſitio *mentalis* eſt vera propoſitio; *vocalis* verò, vel *ſcripta* non eſt niſi ſignum externum, ſeu imago veræ propoſitionis, ſicut homo pictus non eſt verus homo. Terminus vocalis deſcribi poteſt, *vox ſimplex, articulata, et ſignificativa ad placitum*. 2. Diviſio termini eſt in *ſignificativum*, & *non ſignificativum*. 1. eſt, qui vel naturaliter, vel ex inſtitutione alquid ſignificat, ut *homo, lapis, lignum*, & ſimiles voces, quæ ex hominum voluntate ſignificant res illas, fumus, qui ex natura ſua, & independenter ab hominum voluntate declarat ignem ſubeſſe. 2. eſt ille, qui neutro modo ſignificat, ut blictri, aut aliæ ſimiles voces barbarę, quæ nihil ſignificant.

3. Significativus dividitur in terminum *primæ*, & *ſecundæ intentionis*. Terminus *primę intentionis* ſignificat res, prout in ſe ſunt independenter ab ulla operatione intellectus, ſeu ab ulla denominatione, quam accipiunt ab operatione intellectus, ut homo, lapis, &c. *Secundæ intentionis* ille eſt, qui ſignificat res, prout ſubſunt alicui denominationi, quam habent ab aliqua actione intellectus, ut cum dico, *homo eſt ſpecies*, vel *animal eſt genus*. Illa enim prædicata *ſpecies*, & *genus* non conveniunt homini, vel animali à parte rei, aut ex natura eorum, ſed dependenter ab operatione intellectus.

4. *Significativus* dividitur in *Categorematicū, ſyncategorematicum*, & *mixtum*. Primus eſt, qui ſe ſolo aliquid perfectè ſignificat, ut homo, leo, &c. Hæ ſiquidem, & ſimiles voces, ſe ſolis, & ſine addito ſignificant animal rationale, animal rugibile, &c. 2. ille eſt, qui ſe ſolo, & per ſe non perfectè ſignificat, ſed debet jungi alteri, & ideò dicitur *conſignificativus*, ut, *omnis, nullus, aliquis, benè, et rectè, &c. non homo, omnis homo*. Non enim perfectè ſignificant, niſi addantur, aut ſubintelligantur aliæ voces: & ideò dicitur *benè* ſcribit, *rectè* loquitur, &c. Et id rectè explicas, ſi tales voces compares o Arithmeticorum, quod ſe ſolo non facit numerum, ſed cum aliis figuris. Tertius eſt, qui conflatur ex utroque, quia

ſcilicet æquivalet ſubſtantivo, & adjectivo, & unum implicitè continet, ut *nullus*, idem ſignificat, quod *nullus homo*.

5. *Categorematicus* dividitur in *incomplexum*, & *complexum*, ſeu in *ſimplicem*, & *compoſitum*. Incomplexus, ſive ſimplex dicitur, cujus partes ſeparatæ nihil ſignificant, nec per modum ſubſtantivi, nec per modum adjectivi, aut ſaltem non ſignificant idem ſeparatæ, quod ſignificabant unitæ, v. g. *Dominus*. Si partes hujus vocis ſeparentur, aliquid ſignificabunt, ſed penitùs diverſum ab eo, quod ſignificant unitæ. *Do* enim ſignificat actionem donandi, & *minus* eſt adverbium ſignificans minorem quantitatem. In terminis complexis partes idem ſignificant ſeparatæ, quod conjunctæ, ut vir bonus: nam, *vir*, & *bonus* ſeorſim idem ſignificant, quod conjunctim.

§. III.

De aliis terminorum ſimplicium ſpeciebus, ſcilicet, de concreto, abſtracto, denominante, connotativo, adjectivo, & relativo.

6. TErminus *concretus* eſt ille, qui ſubjectũ, & formam ſimul ſignificat, ut *album*, *nigrum*, &c. Significant enim ſubjectum habens albedinem, aut nigredinem. Abſtractus eſt, qui ſignificat nudam formam, velut à ſubjecto ſeparatam, ut *albedo*, *nigredo*, &c. *Subjectum* autem dicimus id, quod recipit eſſe, vel aliquam denominationem, ut *paries*, qui recipit eſſe album, *formam* verò id, quod dat rei aliquod eſſe, vel aliquam denominationem, ut *albedo*, quæ dat parieti eſſe, & denominationem *albi*.

Abſtracta, alia ſunt *ultimatę abſtractionis*, & alia *non ultimatæ*. Priora ſunt ea, per quæ ratio formalis alicujus [1] ei conſideratur ſecundũ ſe præter quodlibet, quod non includitur in ea per ſe, v. g. *humanitas*, eſt abſtractum ultimata abſtractione, quia non relinquit locum ulteriori abſtractioni, ſed eſt præciſa, & ſeparata ab omni eo, quod eſt extra ejus quidditatẽ, & eſſentiam, nam *humanitas* eſt tantùm *humanitas*, & nihil aliud: poſteriora verò ſunt ea, in quibus re-

[1] *Scot. 1. d. 5. v. 1.*

remanet ulterior abſtrahendi locus.ut *albedo*,& ſimilia abſtracta accidentis. Nam accidens plura concernit, quàm ſubſtantia. In accidente abſoluto, v.g. in *albedine*, poteſt fieri abſtractio 1. à ſubjecto, ſcilicet ab hoc, vel illo albo, 2. ab inferioribus, ſcilicet ab hac, vel illa albedine, ut *albedineitas*. In relativo autem poteſt abſtrahi 1. à ſubjectis, 2. à fundamento, & 3.ab inferioribus.

7. *Concretus* etiam duplex eſt: *intrinſecè denominans*, & *extrinſecè*. 1. eſt,qui ſignificat ſubjectum,& formam, quæ verè ineſt ſubjecto, ut *album*, nam *albedo* verè ineſt lacti,aut parieti: ſecundus ſignificat ſubjectum, & formam, quæ non eſt propriè in ſubjecto, ſed potiùs extra illud, quod denominat, ut cùm dicitur de pariete, quod eſt *viſus*. Nam *viſio* quæ eſt forma per illum terminum ſignificata, non eſt in pariete,ſed in oculo videntis.

Hinc habes 1. quòd *in concreto* duo ſignificata reperiuntur, unum,quod dicitur *materiale*,& eſt ſubjectum, v.g. paries, & aliud *formale*, ſcilicet forma per nomen ſignificata, ut *albedo*.

Habes 2. quid velint Philoſophi, cùm diſtinguunt *in abſtracto*,& *in concreto*. Nam dicentes, *in concreto*, volunt ſignificari formã ſimul cũ ſubjecto, *in abſtracto* autem volunt ſignificari ſolã formã ſine ſubjecto.

Habes 3. *in concretis* ſecundùm aliquos formam ſignificari *in obliquo*,& quaſi *indirectè*,ſubjectum verò *in recto*,& quaſi magis *directè*.Unde in explicatione concreti ſubjectum ponitur in recto, ſeu nominativo,& forma in obliquo, V.g. album, idem eſt, atque habens albedinem: ubi vides, *habens*, quod eſt ſubjectum, poni in recto, & *albedinem* in obliquo.

8.Habes 4. quid ſignificent etiam hi termini, *Denominans*, *Denominatus*, & *Denominativus*. Primus eſt forma dans nomen ſubjecto, ſecundus ſubjectum accipiens denominationem à forma, & tertius ex utroque coaleſcit, & vocatur effectus formalis denomitionis.

9 Alius dicitur *connotativus*, alius *abſolutus*. Et iſti ſæpiſſimè occurrunt in Philoſophicis, & tamen in eorum explicatione non ſatis conveniunt Philoſophi. Quidam enim eos confundunt cum *ſubſtantivo*, & *adjectivo*: quidam cum *concreto*,& *abſtracto*: quidam

cum *relativo*,& *abſoluto*;placet explicatio Maſtrii,qua dicit, Terminum *Abſolutum* illum eſſe, qui nihil connotat,ideſt,qui præter eſſentiam rei,quam ſignificat,nihil extraneum deſignat, quod neceſſarium ſit ad perfectam cognitionem rei ſignificatæ, ut *homo*, *bos*, *equus*, & ſimilia concreta de prædicamento ſubſtantiæ, quia ſic ſignificant eſſentiam rerum hujuſmodi primariò,ut ad illas concipiendas integrè,quantum ſufficit ad quietandum intellectum, non ſit neceſſarium intelligere,aut cogitare quidquam illis naturis extrinſecum, quod per illa nomina importetur ſecundariò. Terminus *connotativus* è contra ille eſt, qui præter ſignificatum principale, quod ſignificat primariò, & in recto, aliud quid importat, quod eſt extra eſſentiam rei principaliter ſignificatæ, & ſine quo res iſta non intelligitur integrè ſatis ad quietandum intellectum.V.g.*pater*, dicitur connotare *filium*, quia impoſſibile eſt intelligere patrem, niſi ſimul,& in obliquo intelligatur filius. Sic *materia* non poteſt integrè concipi, niſi aliquo modo illa cognitio terminetur ad formam, quaſi compartem ejus. Similiter hæc vox *cœna*, principaliter quidem ſignificat comeſtionem, quæ eſt principale ejus ſignificatum, ſed notat ſimul tempus veſpertinum,quod eſt quid extra eſſentiam illius comeſtionis. Sicut *filius*, & *forma* in illis aliis terminis,& quæ ſunt illorum connotata, non ſunt de eſsentia patris, aut materiæ: non enim ſunt nec genus, nec differentiæ, nec proprietates eorum intrinſecæ, ſed tamen non poſſunt integrè concipi ſine illis.

10. Termini *ſubſtantivus*, & *adjectivus* videntur ab aliquibus confundi cum præcedentibus, ſed minùs benè,quia multū differunt. Nam *ſubſtantivus* ſignificat rem per modū per ſe ſtantis, ut *Petrus*, *leo*, *lapis*, &c. *Adjectivus* verò ſignificat rem per modum alteri adjacentis, ſine quo non perfectè ſignificat, ut *albus*, *doctus*, & ſimilia, quæ non habent completam ſignificationem, niſi coniungantur cum ſubſtantivis, v. g. *albus* conjungi debet cum ſubjecto, ſcilicet *lacte*, *pariete*, &c. *doctus*, cum homine, cum *Petro*, &c.

11.Alii dicuntur *relativi*, & *abſoluti*. *Relativi*, ſeu *reſpectivi* ſunt, qui res ſignificant in ordine ad

alias,

alias, ut *Pater*, & *Filius*, *ſimilis*, & *diſſimilis*; nam hæc vox *ſimilis* non poteſt intelligi de uno albo, v.g. quin intelligatur aliud album, cui illud dicitur ſimile. Sic *Petrus* non poteſt intelligi, ut *pater*, niſi concipiatur habere *filium*. *Abſoluti* verò dicuntur, qui res in ſe conſiderant, & ſignificant abſque ordine ad aliud, ut *Petrus*, *Paulus*, *homo*, *lapis*, &c. Ex vi enim harum vocum res illæ in ſe ipſis ſignificantur, nec referuntur ad quicquam extra ſe.

§. IV.

De Terminis infinito, & finito; materiali, & formali; univoco, & æquivoco; poſitivo, & negativo; univerſali; communi, & ſingulari; tranſcendente, & limitato.

12. Terminus *Finitus* eſt ille, qui finitam, & limitatam habet ſignificationem, ut *homo*, *lapis*, &c. *Infinitus*, ſeu *Infinitans*, qui nihil limitatum ſignificat, ſed poteſt innumeris applicari, ut *non homo*, *non lapis*, nam hic terminus, *non homo*, poteſt dici de omnibus excepto homine. Termini redduntur infinitantes præponendo eis negationem, ut patet in his exemplis.

13. His affines ſunt *tranſcendentalis*, & *categoricus*. Primus eſt ille, qui de omnibus omninò rebus dici poteſt, ſeu vagatur per omnia prædicamenta, ut *res*, *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, & *aliquid*. Nihil enim eſt in rerum natura, de quo illæ voces non poſſint prædicari. Categoricus, ſeu *limitatus* eſt ille, qui non convenit niſi rebus alicujus generis, aut ſpeciei, ut *homo*, *animal*, *lapis*, &c. Hæc enim conveniunt tantùm rebus, quæ ſunt de prædicamento ſubſtantiæ.

14. *Communis*, ſeu *univerſalis* eſt ille, qui dicitur de pluribus, ut *homo*, qui dicitur de *Petro*, de *Paulo*, &c. *Particularis*, ſeu *ſingularis*, qui dicitur de uno tantùm, ut *Petrus*, qui dicitur tantùm de hoc uno homine individualiter.

15. Ex *communibus*, alii dicuntur *univoci*, alii *æquivoci*, alii *analogi*. *Univocus* eſt ille, qui conve-

nit pluribus ſecundùm nomen, & ſecundùm totam rem per illud nomen ſignificatam, ut *homo* dicitur de *Petro*, & *Paulo*. *Æquivocus* convenit pluribus ſecundùm nomen tantùm, non ſecundùm rem ſignificatam, quæ eſt totaliter diverſa in æquivocatis, ut *Gallus*, cùm dicitur de homine ex Galliis oriundo, & de Gallo gallinaceo. *Analogus* convenit multis rebus ſecundùm nomen, & ſecundùm rem per nomen ſignificatam, ſed diverſimodè, & in diverſo ſenſu, v. g. ſanitas, ſeu ſanum dicitur de animali, de urina, & de medicina, ſed diverſo ſenſu: dicitur de homine, in quo eſt, formaliter, de urina, in qua eſt, velut in ſigno, quatenus ex urinę inſpectione cognoſcitur, quòd animal ſit ſanum, & de medicina, *cauſaliter*, quia eſt in ea, quaſi in cauſa, quia medicina cauſat ſanitatem. Unde colligo, minùs benè analoga definiri ab aliquibus, *ea, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per nomen eſt partim eadem, partim diverſa*. Nam rationes, ſeu eſſentiæ rerum non ſunt diviſibiles in partes, &, ut vides in hoc exemplo, eadem ſanitas ſignificatur in omnibus analogatis, ſed diverſitas tota eſt in modis, quibus ineſt illis.

16. Item *communis* dividitur in *collectivum*, & *diviſivum*. Primus convenit pluribus collectivè, ſeu ſimul ſumptis, non verò ſeorſim, ut *Populus, familia*, &c. Tales enim termini conveniunt hominum multitudini ſimul ſumptæ, non verò ſingulis perſonis: nec enim dicitur de uno cive Romano, quòd ſit Populus Romanus, nec de Petro, quòd ſit talis familia. Secundus è contra convenit pluribus ſeorſim, non autem ſimul, ut *aliquis*, ille terminus dici poteſt de ſingulis in particulari, ſed non de omnibus ſimul, ut cum dicitur, *aliquis currit*.

17. Terminus *univerſalis*, ſeu *communis*, rurſus *dividitur* in quinque membra; ſcilicet, *genus, ſpeciem, differentiam, proprium*, & *accidens*. *Genus* eſt terminus, ſeu prædicatum conveniens pluribus ſpecie differentibus, de quibus prædicatur *in quid incompletè*, ut *animal* reſpectu *hominis*, & *equi*. Nam quærenti, quid ſit *homo*, aut quid ſit *equus*, rectè reſpondetur, quòd ſit *animal*, ſed hæc reſponſio non dicit totum, quod ſignificatur per ſubjectum, non explicat totam quidditatem hominis, vel equi. *Species* eſt

præ-

prædicatum conveniens pluribus ſolo numero differentibus in *quid completè*, ſcilicet dicit totam eorum naturam, & eſſentiam, ut *homo*. Nam quærenti, quid ſit *Petrus*, ſi reſpondes, quod eſt *homo*, exprimis totam ejus eſſentiam. *Differentia* eſt terminus, qui prædicatur de pluribus numero, vel ſpecie differentibus in *quale quid*, hoc eſt, ſignificans eorum qualitatem eſſentialem, ſeu quidditativam, v.g. *rationale* eſt diffetentia hominis, & quærenti, qualis ſit homo eſſentialiter, rectè reſpondetur, quòd ſit rationalis. *Proprium* prædicatur de multis in *quale neceſſariò*, ſeu *convertibiliter*, *accidens* verò prædicatur de multis contingenter.

18. Terminus *poſitivus* ſignificat aliquid reale in eſſe ſubjecto, ut *album*, &c. Negativus ſignificat non exiſtentiam alicujus rei, ſeu formæ, cui non eſt debita ineſſe, ut *cæcitas* in lapide dicit negationem viſus, qui ei non debet ineſſe. *Privativus* autem ſignificat non exiſtentiam formæ in ſubjecto cui deberet ineſſe, ut *cæcitas* in homine, quia viſus debet ineſſe illi.

19. Terminus eſt *materialis*, ſeu ſumitur *materialiter*, quando ſumitur pro ipſa voce, non ſpectata illius ſignificatione, ut ſi dicas, *ego* eſt vox trium literarum, vel cùm ſumitur pro una tantùm parte ſui ſignificati, & quidem pro parte ſubjectiva, ſeu materia rei, ut ſi dicas *homo eſt corpus;* nam *corpus* eſt tantùm pars ſignificati totius termini, & quidem ſubjectiva, & materialis. *Formalis* ſumitur aliquando pro ipſo actu intellectus correſpondente voci, *homo*, v.g. vel pro tota ejus eſſentiali ſignificatione, ut ſi *homo* ſumatur pro animali rationali, in hoc enim eſt totum ejus vocis ſignificatū eſſentiale.

§. V.

De terminis Categoricis, & Prædicamentalibus.

TErmini *prædicamentales* ſignificant res aliquas coordinatas in aliquot certis Claſſibus, quæ vocantur *Categoriæ*, ſeu *prædicamenta*. Nam *Categoria*, ſeu *prædicamentum* nihil eſt aliud, quàm coordina-

dinatio quædam generum, & ſpecierum: ſeu, *debita diſpoſitio prædicatorum eſſentialium ſuperiorum, & inferiorum ſecundùm ſub, & ſupra uſque ad individua*. Decem communiter aſſignantur, licèt poſſent ad plura extendi, vel ad pauciora reduci. Hæc ſunt: *Subſtantia*, *Quantitas*, & *Qualitas*, quæ ſunt abſoluta; *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*, *Ubi*, *Quando*, *Situs*, & *Habitus*, quæ ſunt reſpectiva. *Subſtantia* eſt ens abſolutum per ſe ſubſiſtens, ut homo. *Quantitas* eſt accidens abſolutum, quod adveniens rei facit illam extenſam in ordine ad locum, vel ad tempus: unde res denominatur magna, vel parva, diuturna, vel brevis. *Qualitas* eſt accidens abſolutum, ſecundùm quod ſubjectum denominatur quale contingenter, ut *albedo*, *calor* &c. *Relatio* eſt accidens, per quod unum refertur ad aliud, ut *paternitas*, per quam homo generans refertur ad alium, ſcilicet ad filium, quem genuit. Prior autem dicitur *fundamentum* relationis, & poſterior dicitur *terminus*. Nam *fundamentum* eſt id, quod refertur per relationem, ut *Pater*: *Terminus*, eſt illud aliud, ad quod refertur, ut *Filius*. *Actio* eſt accidens, per quod aliquis dicitur agere, v. g. cum ignis calefacit, actio ejus eſt illud, per quod formaliter producit calorem in ligno. *Paſſio* dicitur *effectus*, & *illatio ab actione*, ſeu accidens, quo ſubjectum dicitur formaliter patiens, ut quando lignum calefit, illud, quo recipit calorem, dicitur *Paſſio*. *Ubi* eſt accidens, quo res dicitur eſſe in loco, v.g. ſum in templo, id, quo circumſcribor in illo loco, dicitur *Ubi*. *Quando* eſt accidens, quo res dicitur eſſe in tempore, v. g. id, quo res dicitur fuiſſe heri, aut futura cras, *heri*, & *cras* pertinent ad hoc prædicamentum. *Situs* eſt illud, quo res exiſtens in loco, habet talem, vel talem partium ſuarum diſpoſitionem, v.g. *Sedet*, *ſtat*, aut *jacet*. *Habitus* denique, eſt corporum, & eorum, quæ circa corpus ſunt, adiacentia, ſeu denominatio extrinſeca reſultans ex illa adiacentia v. g. armorum, veſtium, ornamentorum: unde res dicitur veſtita, ornata, &c. Et hæc pro nunc leviter attigiſſe ſufficiat ad puram notitiam terminorum: nam de prædicamentis, ſicut & de univerſalibus plenior redibit tractatus.

§. VI.

§. VI.

De terminorum collatione inter ſe, ſeu de pertinentia, & oppoſitione terminorum.

20. TErmini *pertinentes*, dicuntur illi, qui ſe ſe mutuò inferunt, ſeu de quorum uno ad alium poteſt elici conſequentia propter convenientiam, aut diſconvenientiam, vel relationem, aut dependentiam, quam habent inter ſe, ut *Pater*, & *Filius*, *calidum*, & *frigidum*. Si dixeris, *eſt homo*, rectè inferes, ergo *eſt animal*, vel, *eſt Pater*, ergo, habet *Filium*: *eſt calidus*, ergo *non eſt frigidus*, & viciſſim. *Impertinentes* ſunt, qui ſic ſe non inferunt, eò, quòd non habeant inter ſe repugnantiam, vel relationem, ut *album*, & *dulce*. Nam ſi dixeris eſt *album*, non propterea potes dicere, ergo *eſt dulce*, nam albedo, & dulcedo non pertinent ad ſe invicem: nec etiam potes inferre contrarium, ergo *non eſt dulce*, quia albedo, & dulcedo non habent repugnantiam inter ſe, aliquando enim uniuntur, ut in lacte, aliquando ſeparantur, ut in calce.

Termini *diſparati* ſunt illi, qui diverſa ſignificant, non tamen oppoſita, ſeu non magis inter ſe repugnant, quàm cum alio tertio, ut *Lapis*, & *aurum*. Sunt enim hæc diverſiſſima ſine relatione oppoſitionis, nec magis inter ſe referuntur, aut repugnant, quàm cum *ligno*, *igne*, *aqua*, &c. Hujuſmodi termini aliqua ratione mediant inter *convenientes*, & *oppoſitos*, ſeu *repugnantes*.

Repugnantes, ſeu *oppoſiti* ſunt illi, qui ſignificant res incompatibiles, ſeu *quæ ſub eodem genere maximè diſtant*, ut *album*, & *nigrum*, *calidum*, & *frigidum*. Sunt enim qualitates incompatibiles, quæque ſe mutuò expellunt ab eodem ſubjecto.

Porrò, oppoſitio vel *eſt contraria*, qualis inter duas qualitates poſitivas, ut inter *albedinem*, & *nigredinem*, vel *contradictoria*, qualis inter vocem ſignificantem exiſtentiam albedinis, v.g. *album*, & vocem negantem exiſtentiam ejuſdem albedinis in eodem ſubjecto, v. g. *non album*, vel *privativa*, ut cum dicitur de homine eodem, quòd *ſit videns*, & *cæcus*.

cæcus. Nam per unum prædicatur viſio, cujus homo eſt capax, & quam debet habere, & per alium terminum negatur eadem viſio, qua ſignificatur privari. Denique *Relativa*, ut *Pater*, & *filius*, relativè opponuntur. Nec enim paternitas, & filiatio poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto reſpectu ejuſdem termini, & ex illis rectè infertur diſtinctio realis perſonarum, quæ tales dicuntur.

PROLUSIO III.

De terminorum affectionibus.

POſtquam diximus de multiplici terminorum ſimplicium, & complexorum diviſione, & ſenſu, videndæ ſunt aliquot eorum proprietates, & conditiones, quæ in illis efficiunt diverſas ſignificationes. Tales dicuntur communiter *Suppoſitio*, *Reſtrictio*, *Status*, *Alienatio*, *Ampliatio*, & *Diſtractio*.

§. I.

De ſuppoſitione terminorum.

S*Uppoſitio* generaliter ſumpta eſt poſitio unius rei pro alia, ſed apud Dialecticos eſt poſitio nominis, vel pro ſe, & tunc dicitur *materialis*, vel pro ſuo *ſignificato*, & tunc dicitur *formalis*, ut ſi dicas *homo eſt vox*, *eſt nomen*, ſuppoſitio eſt materialis, quia ibi ponitur pro ſe tantùm, ſi verò dicas, *homo eſt animal rationale*, ſuppoſitio eſt formalis, quia *homo*, ponitur loco ſui ſignificati.

Hinc habes primam diviſionem ſuppoſitionis in *materialem*, & *formalem*, quas mox deſcripſimus.

Secundò ſuppoſitio formalis dividitur in *propriam*, & *impropriam*. *Propria* eſt acceptio vocis pro re, quam propriè ſignificat, ut cùm *homo* ponitur pro animali rationali: *impropria* eſt acceptio termini pro re quam impropriè, ſeu metaphoricè ſignificat, ut ſi de *homine* dicas, quòd *eſt leo*, ad ſignificandam hominis fortitudinem, aut crudelitatem, tunc *Leo* ſupponit impropriè, & metaphoricè.

3. Propria ſubdividitur in *Communem*, quæ eſt acce-

acceptio termini communis pro ſuo ſignificato communi, vel pro ſuis ſignificatis, ut *omnis homo eſt animal*: & *ſingularem*, ſeu *diſcretam*, quæ eſt acceptio termini pro una re ſingulari tantùm, ut *Petrus*, *Paulus*, *hic homo*, *&c.*

4. Communis dividitur in *ſimplicem*, *perſonalem*, ſeu *realem*, & *abſolutam*. Prima eſt acceptio termini communis pro ſuo primario, & immediato ſignificato præcisè ſumpto, ut abſtrahit à particularibus, ut *homo eſt habens humanitatem*. *Humanitas* enim eſt primarium, & immediatum ſignificatum illius vocis. Alii dicunt eam eſſe acceptionem vocis ad ſignificandas res, pro ut ſubſunt ſecundis intentionibus, ideſt pro ut ſunt affectæ aliqua denominatione extrinſeca veniente ab operatione intellectus, ut ſi dicas, *homo eſt ſpecies*. Secunda eſt acceptio vocis communis pro ſuis ſignificatis mediatis, ſeu ad ſignificandas res, quales ſunt independenter ab omni actu intellectus, ut *homo currit*. Nam vox *homo*, tunc ponitur ad ſignificandum aliquod individiuum humanum, & quidem prout ſe habet à parte rei. Tertia eſt acceptio vocis communis pro ſuo ſignificato tàm mediato, quàm immediato, ut *homo eſt animal*. Nam tunc *homo* ponitur non ſolùm pro humanitate in communi, ſed etiam pro omnibus individuis naturæ humanæ, quæ ſunt mediata eius ſignificata.

5. *Perſonalis* ſubdividitur in *Diſtributivam*, *Collectivam*, *Determinatam*, & *confuſam*. Prima eſt, cum terminus communis ſumitur pro omnibus ſuis inferioribus ſeorſim, & copulativè, ita, ut illis conveniat tam ſimul, quàm ſingulis. Ut ſi dicas, *omnis homo eſt animal*: *homo* ſupponit tam pro omnibus, quàm pro ſingulis individuis humanis, quia tam de Petro, quàm de Paulo, Joanne, &c. dicitur, quòd ſit animal. Secunda eſt, cum terminus communis convenit omnibus ſuis inferioribus ſimul tantùm, non autem diviſivè, ut ſi dicas, *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*. Tunc enim vox *Apoſtoli* non ponitur pro Divo Petro, aut Paulo ſeorſim, ſed pro omnibus ſimul. Tertia eſt uſus termini communis pro aliquo inferiori particulari, & determinato, ut *hic homo eſt albus*, *aliquis homo currit*. Id enim verificatur de uno tantùm particulari, & determinato, quem

Deus

Deus ſaltem videt. Quarta eſt uſus termini communis pro aliquo ex inferioribus, disjunctim, & indeterminato, ita, ut nullum ſit, de quo verificari poſſit propoſitio potiùs, quàm de alio: ut *equus requiritur ad equitandum*: tunc *equus* ſupponit pro hoc, vel illo, vel alio quolibet, ita, ut nullus ſit in particulari, de quo id dici poſſit potiùs, quàm de quolibet alio.

6. *Diſtributiva*, alia eſt *pro ſingulis generum*, quæ dicitur *completa*, alia *pro generibus ſingulorum*, quæ dicitur incompleta. Prima eſt uſus termini communis pro ſingulis omnibus inferioribus, ſeu individuis naturæ illius, ut *omne animal eſt vivens*, tunc *animal* ſupponit pro ſingulis individuis naturæ animalis. Secunda eſt uſus termini pro ſingulis ſpeciebus ſub aliquo genere contentis, non verò pro omnibus individuis, ut *omne animal fuit in arca Noe*, ibi *omne animal* ſumitur pro ſingulis ſpeciebus animalium, non pro ſingulis individuis animalitatis, & ſenſus eſt, quòd ex omnibus ſpeciebus animaliũ aliquot individua fuerunt in arca Noe. Hæc ſolet appellari *Diſtributio accommoda*, quia habet ſenſum, non rigoroſum, ſed *accommodatum* quatenus explicatur non de omnimoda, & rigoroſa univerſalitate, quæ includeret omnia prorſus animalia, ſed de aliqua univerſalitate, quæ includit omnes ſpecies animalium terreſtrium, & aereorum: & ſic aliqui non boni Theologi voluerunt explicare hanc propoſitionem, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ſcilicet per diſtributionem accommodam, ſeu pro generibus ſingulorum*, non *pro ſingulis generum*.

§. II.

De Aſcenſu, & Deſcenſu.

QUatuor *ſuppoſitionibus communioribus* totidem correſpondent *Aſcenſus*, & *Deſcenſus*, qui non parùm faciunt ad pleniorem illarum intelligentiam. *Aſcenſus* generatim deſcribitur ab inferioribus ad ſuperiora gradatio, & *deſcenſus* à ſuperioribus ad inferiora progreſſio. Apud Dialecticos verò, *Aſcenſus* eſt à terminis particularibus ſufficien-

ficienter enumeratis ad univerſalem gradatio: *Deſcenſus*, è contra, eſt à termino univerſali ad particulares proceſſio, v. g. ſi dicas, *Petrus*, *Paulus*, *Andreas*, & *reliqui ſimul Apoſtoli ſunt duodecim*, rectè inferes per Aſcenſum, ergo *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*. Similiter ſi dicas, *omnis ignis eſt calidus*, rectè inferes per deſcenſum, ergo *hic ignis eſt calidus*, & *iſte eſt calidus*, & ſic de ſingulis ignibus, adeò ut nullus ſit non calidus. Si enim vel unus deeſſet, non valeret conſequentia.

Quadruplex eſt *Aſcenſus*, & *Deſcenſus*. 1. *Copulativus*, ſeu *Diſtributivus*, qui eſt progreſſio à communi ad particulares terminos media particula copulativa *Et* numerandos, ut *omnes Logici ſunt docti*: deſcendis copulativè dicens, ergo *hic*, & *iſte* (& ſic de cæteris omnibus, nullo dempto) *eſt doctus*, contrariam viam tenebis in aſcenſu. 2. *Copulativus*, ſeu *disjunctivus* Deſcenſus, eſt, quo à termino communi ad ſingulares ſimul ſumptos media copulativa particula proceditur, ita, ut non propoſitiones integras nectat, ut prior, ſed ſolos terminos, ut ſi dicas, *omnia elementa ſunt quatuor*, inferes, ergo *terra*, *aqua*, *aer*, & *ignis ſunt quatuor*. *Diſiunctivus* eſt à termino communi ad particulares progreſſio media particula diſiunctiva confusè numerandos, ut *equus requiritur ad equitandum*, deſcenditur arguendo, *ergo vel iſte, vel ille requiritur*. Aſcenſus è contra, & ita eſt de reliquis.

§. III.

De ſtatu, & diſtractione.

STatus eſt uſus termini pro tempore importato per verbum; idque accidit, cùm verbum, ſeu *copula* uſurpatur pro una tantùm temporis differentia, & ſicut hæc differentia triplex eſt, ſic & Status. Primus eſt pro præſenti, ut *ſtudens ſedet*, ibi *ſtudens habet* ſtatum pro tempore præſenti, quod importatur per verbum *Sedet*. 2. eſt pro præterito, ut *Philoſophus ſtuduit*. 3. pro futuro, ut *homo ſtudebit*. Ad ſervandum *Statum* nihil debet addi verbo, quod illius Statum poſſit immutare. *Diſtractio* eſt uſus termini

pro

pro alio tempore, quàm quod importatur per verbum, ut cùm dicitur, *cœci vident*. Ibi enim *cœci* ſupponunt pro tempore, non præſenti, quod importatur per verbum *vident*, ſed pro præterito, in quo erat *cœcitas*, & ſenſus eſt, quòd qui erant cœci, de præſenti vident. In propoſitionibus neceſſariis non importatur ullum tempus, quia ſunt ſemper veræ pro quacumque temporis differentia, ut *homo eſt animal*.

§. IV.

De Ampliatione, Reſtrictione, Alienatione, Diminutione, & Appellatione.

A*mpliatio* eſt extenſio termini à majore ad minorem ſignificationem. Id autem fit, cùm terminus ſupponit non ſolùm pro his, quæ exiſtunt tempore importato per copulam, ſed etiam pro exiſtentibus in alio tempore, ut *homo eſt animal*, copula *eſt* videtur poni pro tempore præſenti, & tamen veritas propoſitionis ampliatur, & extenditur ad omnes homines, qui fuerunt, & erunt. *Reſtrictio* è contra eſt coarctatio termini à majore ad minorem ſignificationem, & id accidit, cùm terminus ex natura ſua ſe extendens ad plura reſtringitur ad pauciora per appoſitionem alterius vocis, v. g. *homo fortis pugnat*. Niſi enim apponeretur vox, *fortis*, propoſitio de ſe ſignificaret omnem hominem.

His accedunt *Alienatio*, & *Diminutio*. Prima eſt uſus termini à propria ad impropriam ſignificationem, ut *homo pictus venditur*. Vox enim, *homo*, hìc ſumitur impropriè. Secunda eſt uſus termini cum appoſitione alicujus vocis, per quam reſtringitur ad ſignificandum ſecundùm quid, ut ſi dicas, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*. Per has voces, *ſecundùm dentes*, limitatur, & minuitur ſignificatio naturalis aliarum vocum. *Appellatio* eſt applicatio ſignificati unius vocis ad ſignificatum alterius, ut *homo eſt juſtus*. Alia eſt *formalis*, in qua ſignificatum formale applicatur ſignificato alterius, ut in allato exemplo *juſtitia*, quæ eſt ſignificatum formale vocis, *Juſtus*, applicatur ſignificato vocis, *homo*. Alia *materialis*, qua materiale ſignificatum applica-

tur alteri, ut *Muſicus eſt Philoſophus*, ſenſus eſt; quòd idem ſubjectum, in quo eſt ars Muſicæ, habet etiam Philoſophiam. Unde *Muſicus*, & *Philoſophus* ſunt idem materialiter, non formaliter.

PROLUSIO IV.

Explicantur quidam termini uſu frequentes in Philoſophia.

Quoniam inter philoſophandum quidam termini ſæpiùs uſurpantur, quorum notitia facem præfert in mediis difficultatum tenebris, aliquos hac proluſione complectar, quos ſubinde quiſque conſulere poterit.

1. *In actu primo*, & *ſecundo*. In *actu* primo dicitur de potentia activa, quando res aliqua dicitur habere vim aliquid producendi, quam nondum producit, v. g. priuſquam loquar, ſum in actu primo loquendi. *In actu ſecundo* dicitur, quando agens de facto producit illud, ut cùm actu loquor, ſum in actu ſecundo loquendi.

2. Idem ferè ſignificant, *aptitudinaliter*, & *actualiter*. Aliquid dicitur tale *aptitudinaliter*, quando habet aptitudinem ad illud faciendum, aut recipiendum, quod adhuc non facit, vel recipit: *actualiter* verò, quando de facto habet. Sic lignum dicitur calidum *aptitudinaliter*, antequam calefiat: *actualiter* verò, quando de facto recipit, aut habet calorem.

3. Eòdem recidunt, *in actu ſignato*, & *in actu exercito*. Primum dicitur de cauſa, quæ habet omnia ad agendum requiſita, nondum tamen agit, ſed eſt parata ad agendum: ſecundum verò, quando de facto agit.

4. Eòdem etiam recidunt, *In actu*, & *potentia*. Res dicitur eſſe in *potentia*, quandiu continetur intra ſuas cauſas, poteſt tamen ab illis produci, ut flos in hyeme: *in actu*, quando habet realem exiſtentiam extra ſuas cauſas, ut flos in vere, pomum in æſtate.

5. *Prius natura*, *tempore*, & *origine*. Hi termini magnas explicant difficultates. *Prioritas naturæ*, eſt

eſt inter ea, quæ licèt ſimul tempore exiſtant, unum tamen intelligitur priùs alio propter cauſalitatem, quam habet in illud. Sic ſol dicitur prior lumine, & omnis cauſa realis eſt ſic prior ſuo effectu. *Prioritas temporis* eſt inter ea, quorum unum aliud antecedit duratione. Sic hora prima antecedit ſecundam. *Prioritas originis* dicitur inter ea, quorum unum eſt origo, ſeu principium alterius, quod ab eo procedit, aut producitur ſine ulla dependentia, ſicut fluvius à ſuo fonte: ſed maximè hoc dicitur in divinis, ubi Deus Pater non dicitur prior Filio, niſi origine, & in quantum Filius generatur à Patre ſine ulla dependentia.

6. His additur *Prioritas ordinis*, quæ duplex eſt. Prima dicitur ratione numeri; & ſic *binarius* eſt prior *ternario*. Secunda dicitur dignitatis, qua unum præcedit aliud gradu, & nobilitate: ſic *ordo Eccleſiaſticus* prior eſt *Laico*, ſcilicet, dignitate.

Denique *Prioritas rationis* ea eſt, quæ fingitur ab intellectu inter res, quæ de ſe ſunt omninò expertes cujuſcunque prioritatis veræ, ac realis, ut ſi dicas immutabilitatem in Deo eſſe priorem æternitate, quia illam priùs concipis.

7. *Materialiter*, & *formaliter* ſæpiſſimè occurrunt. Ex dictis de terminis formali, & materiali facilè intelliguntur: quia tamen maximi ſunt momenti, iterùm explico. Aliquid dicitur tale *materialiter*, quia illa denominatio illi competit ratione materiæ, ſeu ſubjecti, *ut album eſt dulce*, dulcedo enim non convenit albo ratione albedinis, quæ eſt ejus formale ſignificatum, ſed ratione ſubjecti, v. g. lactis: *formaliter* dicitur, quando prædicatum convenit ſubjecto ratione formæ, ut album diſgregat viſum *formaliter*, ideſt ratione albedinis, à qua habet hunc effectum. Sic quædam dicuntur identificata, aut diſtincta *materialiter*, quia habent idem, vel diſtinctum ſubiectum, & diſtincta *formaliter*, quia habent diſtinctas formas, ut *Equus*, & *Bos*: vel unum *formaliter*, quia eandem habent formam, ut *Petrus*, & *Paulus*, qui habent eandem humanitatem.

8. *Reduplicativè* idem ſignificat, quod *formaliter*, & *ſpecificativè*, ſeu *identicè*, quod *materialiter*. *Redupli-*

duplicativè ſignificat prædicatum convenire ſubjecto ratione formæ, ut *animal eſt ſenſitivum reduplicativè ut animal*, ideſt ratione *animalitatis*. Si verò dicas, *Muſicus eſt Philoſophus*, id verum eſt ſpecificativè; quia Philoſophia non enuntiatur de Muſico ratione Muſices, ſed ratione ſubjecti, & *Muſicus*, & *Philoſophus* ſunt unum, & idem *ſpecificativè*, non *formaliter*, quia Muſica, & Philoſophia ſunt duæ formæ in eodem ſubjecto.

9. *Formaliter*, & *efficienter*, dicuntur ratione alicujus efficientiæ, & cauſalitatis: ſic albedo facit parietem album, quia id præſtat per ſuimet communicationem, & inexiſtentiam in pariete: ſic calor pellit *formaliter* frigus; ſcilicet per ſuam entitatem, &c. *Efficienter* verò dicitur, cum aliqua res denominat, vel effic t aliud tale non per ſui communicationem, & inexiſtentiam in ſubjecto, ſed per ſuam virtutem, & actionem, qua producit in eo talem formam, ſeu effectum. Sic manus mea dicitur calida ab igne efficienter, & *formaliter* à calore, qui in ea eſt.

10. *Virtualiter*, *formaliter*, & *eminenter*, Iſti termini ſignificant continentiam effectuum in ſuis cauſis. Effectus continetur *formaliter* in ſua cauſa, quando in ea eſt ſecundùm ſuam entitatem, & velut forma illi inhærens, ut calor in igne, & humiditas in aqua. *Virtualiter* verò, quando non eſt in cauſa ſua ſecundùm ſuam actualem entitatem, ſed tantùm in virtute illius productiva, ut calor in pipere, & vino, planta in grano, & ſemine. *Eminenter* denique dicitur effectus contineri in cauſa ęquivoca, & nobiliori, quia continetur in ejus virtute ſine ullis imperfectionibus, quas in ſe habet, vel quibus eſt obnoxius: ſic creaturæ continentur in Deo *eminenter*, quia eas poteſt producere, & habet eas in ſua virtute, & omnipotentia ſine ulla ex imperfectionibus, quibus obnoxiæ ſunt: ſic calor eſt in Sole, &c.

11. Aliquando à Philoſophis uſurpantur iſtę voces, *formaliter*, *formaliſſimè*: *formaliter implicitè*, & *explicitè*. Primum dicitur, quando prædicatum eſt formalis ratio conſtitutiva, & diſtinctiva ſubjecti, ut *homo eſt formaliter formaliſſimè rationalis*.

Se-

Secundum, quando prædicatum eſt quidem eſſentiale ſubjecto, non tamen exprimitur in ejus definitione, ſic homo eſt *formaliter implicitè* creatura, lux eſt vis calefactiva *formaliter implicitè*. Tertia dicitur, quando prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, ita, ut expreſsè ponatur in ejus definitione, ut *homo eſt animal formaliter explicitè*. Hi verò duo priores termini valent maximè in divinis. Nam in Deo, dicitur, quòd juſtitia ſit *formaliter implicitè* miſericordia, non verò *formaliter explicitè*.

12. *Abſolutè*, ſive *ſimpliciter*, *reſpectivè*, ſeu *comparativè*, & *ſecundùm* quid. Res dicitur *abſolutè*, & *ſimpliciter* talis, quando eſt talis ſecundùm ſe, & ſine ulla comparatione. Sic Petrus dicitur *abſolutè*, & *ſimpliciter* doctus, quando verè in ſe habet doctrinam ſine ulla comparatione. *Reſpectivè*, ſeu *comparativè* dicitur, cum res in ſe non habet formam denominantem, ſi tamen comparetur cum aliquo alio, eam videtur habere, ut ſi dicas, *Logicus eſt doctus*, vel *eſt ignarus*, primum verificatur, ſi comparatur *cum ruſtico* illiterato, ſecundum verò, ſi comparetur cum Ariſtotele. *Secundùm quid* res dicitur talis, cum denominatio illi convenit cum aliqua diminutione, ſeu limitatione, ut cùm Æthiops dicitur albus ſecundùm dentes, vel ſecundùm partem oculorum: ſimiliter ille, qui calleret unam ſcientiam, & ignoraret reliquas omnes, dici poſſet doctus *ſecundùm quid*, & ignorans *abſolutè*.

13. Per ſe, & *per accidens*. Primum dicitur ad ſignificandum, quòd prædicatum convenit ſubjecto ex natura rei, & ex principiis ejus intrinſecis, quæ illud naturaliter exigunt, ut ſi dicas, *homo loquitur*, id verum eſt *per ſe*. At *per accidens* dicitur ad ſignificandum, quòd prædicatum eſt accidentarium ſubjecto, ac illi convenit præter naturalem ejus exigentiam, ut *homo eſt mutus*, id verum eſt *per accidens*.

Ut quo, & *ut quod*, illi termini conveniunt principiis formalibus, & inſtrumentalibus. Ut ſignificetur aliquid convenire ſubjecto tanquam vero, & principali principio, & agenti, dicitur convenire *ut quod*; ut autem ſignificetur virtus, ſeu ratio, qua mediante agens producit effectum, utimur termino

ut quo. V. g. *ignis calefacit ut quod*, & calor, *ut quo*; quia eſt ratio, ſeu virtus, qua ignis calefacit.

15. *Poſitive*, & *negative*. Aliquid dicitur tale *poſitivè*, quando verè habet in ſe formam, à qua ſic denominatur, ut qui habet in ſe albedinem, dicitur *poſitivè* albus. Dicitur autem *negativè*, quando non habet in ſe formam, à qua oriatur denominatio contraria, licèt non habeat etiam illam, à qua ſic denominatur, ut homo dicitur negativè albus, qui non habet nigredinem, neque etiam poſitivam albedinem. Sic ille dicitur *negativè* bonus, qui non habet nec poſitivam ſanctitatem, nec pravitatem.

16. *Subjectivè*, ſeu *Entitativè*, *terminativè*, & *objectivè*. Res dicitur eſſe in alia *ſubjectivè*, ſeu *entitativè*, quando eſt per ſuam entitatem in illa velut in ſubjecto, à quo ſuſtentatur. Sic intellectio eſt in intellectu *ſubjectivè*, ſeu *entitativè*. *Terminativè* dicitur eſſe in eo, ad quod terminatur, ut viſio eſt in oculo *ſubjectivè*, & in pariete *terminativè*, quatenùs ad eum terminatur. *Objectivè* etiam, quatenus illi objicitur, ſeu ab eo cognoſcitur. Eſſe igitur in aliquo *objectivè*, dicitur de rebus, quatenus à potentiis cognoſcitivis percipiuntur. Sic paries dicitur eſſe *objectivè* in oculo, vel in intellectu, &c.

17. *Intrinſecè* ferè idem eſt, ac *ſubjectivè*; quia res dicitur *intrinſece* talis, quando formam denominantem in ſe habet. *Extrinſece* verò idem eſt, ac *terminativè*, aut *objective*, quando forma denominans non eſt in re denominata, ſed ad illam aliquo modo terminatur, ut viſio reſpectu parietis.

18. *Confuse*, & *diſtincte*. Hæ diſtinctiones reſpiciunt cõceptus, ſeu actus *cognoſcitivos*, aut *expreſſivos*, v. g. vox, exercitus, dicit *confuse* duces, & *diſtinctè* ordinatam armatorum multitudinem.

19. *Directe*, & *indirecte*, *mediate*, & *immediatè*. Quando prædicatum convenit ſubjecto per ſe, & abſque alterius ope, aut quando aliquid intenditur ab intellectu, aut voluntate, dicitur directè cognitum, directè volitum; ſi vero ſit mediante aliquo, dicitur *indirecte*, & *ſecundariò*.

Eòdem rec dunt *mediatè*, & *immediatè*. Scilicet quando nihil mediat inter rem, quæ dicitur attingi, dici-

B

dicitur *immediatè* attingi; ſi verò aliquid mediat, dicitur attingi *mediatè*.

20. *Fundamentaliter*, & *radicaliter*. Primum ſignificat rem, quæ alteri tribuitur, convenire illi, & ineſſe, non per ſuam entitatem, & formaliter, ſed tanquam ſuæ radici, aut principio, aut fundamento, ut ſi de aqua calida dixeris, quod eſt *radicaliter*, ſeu *fundamentaliter* frigida, quia vim habet ſibi innatam producendi frigiditatem, licèt eam actu, & formaliter ſibi inhærentem non habeat, quandiù eſt calida.

21. *Adæquatè*, *& inadæquatè*, & *ſimpliciter*. Res dicitur talis *adęquatè*, quando talis eſt ſecundùm ſe totam, & omnes ſui partes, ut lapis eſt *adęquatè* corporeus. *Inadęquatè*, quando eſt talis ſecundum aliquam partem. Sic globus terræ eſt inadęquatè ſolidus, & inadæquatè fluidus. *Simpliciter* verò, quando eſt tale, non quidem ſecundùm omnes, ſed ſecundùm pręcipuas, & maximas partes. Sic Æthiops eſt ſimpliciter niger, licèt albus ſit ſecundùm dentes.

22. *In communi*, & *ut ſic*. Hæ voces ſignificant prædicata, quibus applicantur ſumi in abſtracto, & præcisè à ſuis differentiis particularibus, ut *homo eſt riſibilis*, *ut ſic*, ideſt *in communi*, adeò ut riſibilitas illi conveniat ratione humanitatis, quæ eſt communis omnibus hominibus. Non autem benè diceretur, homo *ut ſic* eſt Philoſophus, quia *Philoſophia* non convenit homini ratione communis humanitatis, alioqui omnes eſſent Philoſophi, ſed ratione qualitatis particularis.

23. *Aſſignabiliter*, *& inaſſignabiliter:* rari ſunt iſti termini. 1. dicitur, quando ratio, cur prædicatum convenit ſubjecto, eſt *aſſignabilis*. 2. verò, quando *non eſt aſſignabilis*. Sic dicitur partem, qua globus perfectus tangit perfectè planum, non eſſe aſſignabilem: tangere *inaſſignabiliter*.

24. *In ſenſu compoſito*, & *in ſenſu diviſo*. 1. eſt, quando aliquid convenit ſubjecto ratione alicujus adjuncti, ut *paries albus diſgregat*, hæc enim propoſitio verificatur, quandiu componetur albedo cum pariete. 2. verò dicitur, quando non poteſt verificari propoſitio, niſi ſeparetur aliquid, v. g. homo ſedens poteſt currere: nam curſus non poteſt verificari de homine,

ne, niſi ſeparetur ſeſſio, & ſenſus, eſt, ille, qui modò ſedet, poteſt currere, cùm ceſſabit ſedere. Sic qui modò ſedet, poterit currere, cùm ſurrexerit. De his redibit ſermo.

Et hæc de ſimplicibus terminis ſatis, veniamus ad complexos.

PROLUSIO V.

De terminis complexis, ſeu de propoſitionibus, & earum affectionibus.

TErmini *incomplexi*, de quibus hucuſque diximus, pertinent ad primam mentis operationem, quæ eſt ſimplex rerum cognitio, abſque compoſitione per affirmationem, aut negationem unius de alio: *complexi*, ſeu *propoſitiones* pertinent ad 2. quę eſt quędam compoſitio, qua mens unum de alio affirmat, aut negat, & de hujuſmodi terminis, ſeu operationibus deinceps agimus.

§. I.

De nomine, & verbo.

PRopoſitio conſtat nominibus, quæ ſunt extrema ejus, ſcilicet *ſubjectum*, & *prædicatum*, & *verbo*, ſeu *copula*, quæ eſt verbum, *ſum*, *es*, *eſt*, aut aliud æquivalens. Ab his ordimur explicationem propoſitionis.

Nomen apud Dialecticos deſcribitur, *vox ſignificativa ad placitum, ſine tempore, finita, & recta, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim.* Dicitur 1. *vox ſignificativa*, ut excludantur voces non ſignificantes, ut *Blictri.* 2. *ad placitum*, ut excludantur voces naturaliter ſignificantes, ut *riſus*, *fletus* &c. 3. *ſine tempore*, ut diſtinguatur à verbo: nam licèt plura nomina ſignificent tempus, ut *dies, menſis*, *annus*, &c. & plures etiam ſignificent temporis differentias, ut *præſens*, *præteritum*, & *futurum*, & quædam connotent tempus, ut *jentaculum*, *prandium*, *cœna:* non tamen ſignificant *cum tempore*, ut verba, ideſt non important actionis, vel paſſionis exercitium, quod fit

in tempore. 4. *finita*, ut excludantur termini infinitantes, ut *non homo*, hi enim non ſunt ſimpliciter nomina, nec ſignificant quidquam determinatum in rebus. 5. *recta*, ut excludantur caſus obliqui, qui ratione ſui, & niſi caſibus rectis jungantur, non ſunt partes propoſitionis, ſunt caſus nominum, non nomina: ideo debent reduci ad caſus rectos, v. g. *liber eſt Petri*: ideſt *liber eſt aliquid Petri*: *Petrus amat*, ideſt *Petrus eſt amans*. 6. *cujus nulla pars ſignificat ſeparata*: per hoc nomen diſtinguitur ab oratione, & ſenſus eſt, quòd partes vocis, ſeu nominis nihil ſignificant, aut ſaltem non ſignificant idem, quod ſignificabant unitæ, ut in hac voce *Dominus*. *Do*, & *minus* ſeparatim quidem ſignificant, ſed longè aliud, quàm conjunctim in nomine. Non ita eſt in oratione, cujus partes ſeparatæ retinent eandem ſignificationem, quam habebant in compoſitione.

Verbum deſcribitur *vox ſignificativa ad placitum cum tempore, finita, & recta, cujus nulla pars ſignificat ſeparata, & eſt ſemper eorum, quæ de aliquo dicuntur, nota*. 1. per illam partem, *vox ſignificativa ad placitum*, verbum convenit cum nomine. 2. *cum tempore*, in hoc differt verbum à nomine, & ſenſus eſt, quòd verbum ſignificat exercitium actionis, aut paſſionis in aliqua differentia temporis. In propoſitionibus tamen neceſſariis, ut iſta, *homo eſt animal*, verbum dicitur abſolvi à tempore, non quòd non ſignificet cum tempore, ſed ſenſus eſt, quòd non ſignificet in hujuſmodi propoſitionibus cum tempore ullo determinato, eò, quòd amplietur ad omnes temporis differentias propter neceſſariam connexionem extremorum, ſcilicet, *hominis* cum *animali*. 3. *finita*, ut excludantur verba infinita, *ut non currit*, *non ſtudet*, & hujuſmodi. Sicut diximus de nomine, quamvis verba non tam facilè infinitentur per appoſitionem negationis, ſicut infinitantur nomina. 4. *recta*: ideſt præſentis temporis indicativi modi: quia alia tempora, & modi ad præſens, & ad indicativum referuntur, & ſunt potiùs modi, & tempora verborum, quàm verba.

Porrò *verbum* aliud eſt *Subſtantivum*, aliud *Adjectivum*. *Subſtantivum* eſt illud, quod ſignificat per modum per ſe ſtantis, & nulli inhærentis. Ut verbum,

bum, *Sum, es, eſt*: E contra *Adiectivum*, ſignificat per modum alteri adjacentis, qualia ſunt cætera, ut *amo*, ſignificat actum amoris à me procedentem, & ad alterum tendentem, &c.

§. II.

De Oratione, & Enuntiatione.

ORatio eſt terminus complexus, & deſcribitur, *vox ſignificativa ad placitum, cujus partes ſeparatæ ſignificant*. Particula *vox ſignificativa ad placitum*, ponitur loco generis, per eam enim convenit oratio cum *verbo*, & *nomine*; & quidem cùm oratio conſtet verbo, & nomine, quæ non ſignificant niſi ex hominum placito, & inſtitutione; inde eſt, quòd & ipſa non aliter ſignificet. Reliqua ponuntur pro differentia; nam per *hæc* differt oratio, & terminus complexus ab incomplexo; ut diximus ſæpe, ut, *Petrus currit*, *Paulus orat*. Partes hujuſmodi orationum etiam ſeparatę habent eandem ſignificationem, quam habebant unitæ. Dividitur oratio in *imperfectam*, & *perfectam*. Hæc eſt, quæ integram ſententiam declarat, perfectumque ſenſum ingenerat in intellectu audientis, ut *homo eſt animal*: prior verò non generat perfectum ſenſum, ſed relinquit animum ſuſpenſum, ut ſi dicas, *Si Deum timueris*. Iſta eſt, vel cum verbo, ut in allato exemplo, vel ſine verbo, ut *homo albus*. Perfecta verò, alia eſt *enuntiativa*, quæ verum, vel falſum dicit, & ideò fit in modo indicativo, ut *homo eſt animal*, alia eſt *non enuntiativa*, quæ licèt ſententiam explicet, & quietet intellectum audientis, non tamen dicit verum, vel falſum, ut ſi dicas modo optativo, *utinam Deum timeres*: vel imperativo, *Deum time*: vel interrogativo, *quid facis*? vel vocativo, *O Deus omnipotens*, & juxta hos modos Oratio dividitur in *Imperativam*, *Optativam*, *Interrogativam*, *Vocativam*, *& Indicativam*.

Oratio *enuntiativa*, ſeu *propoſitio* deſcribitur, *Oratio enuntiativa verum, vel falſum ſignificans*. Oratio ponitur loco generis, per id enim convenit cum Oratione in communi. *Enuntiativa* ponitur loco ge-

neris minùs communis, nam per hoc differt ab oratione non Enuntiativa. *Verum*, *vel falſum ſignificans* eſt ultima differentia hujus ſpeciei orationis, ut *Petrus eſt juſtus*. Ariſtoteles definit propoſitionem dicens, quòd eſt *oratio aliquid affirmans*, *vel negans*, ut *Petrus eſt ſapiens*, *Petrus non eſt doctus*. Alii definiunt dicentes eſſe *Orationem*, *in qua unum de alio judicatur*.

1. Dividitur in *Vocalem*, *Mentalem*, & *Scriptam*. 1. eſt, quæ voce exprimitur. 2. quæ in mente ſola formatur, & remanet. 3. quæ ſcriptis exaratur; ut diximus de termino.

2. In *veram*, & *falſam*, *affirmativam*, & *negativam*, ut patet ex duabus primis definitionibus. *Vera*, eſt, quæ conformis eſt rei per eam enuntiatæ, ut *homo eſt animal*. *Falſa*, quæ eſt difformis rei enuntiatæ, *ut Lac eſt nigrum*. *Affirmativa*, quæ aliquid de alio aſſerit, ut *Petrus eſt homo*. *Negativa*, quæ aliquid negat, ut *Petrus non eſt homo*.

3. Dividitur in *ſimplicem*, ſeu *categoricam*, & *compoſitam*, ſeu *hypotheticam*. 1. eſt, *quæ habet ſubjectum*, *prædicatum*, *& copulam explicitè*, *vel implicitè*, *formaliter*, *vel æquivalenter*, *tanquam partes principales ſui*, ideò dicitur categorica, ideſt prædicativa, ut *Petrus eſt animal*, ecce partes explicitas: *Deus eſt*, ibi prædicatum implicitè, & equivalenter continetur in verbo *eſt*; æquivalet enim huic, *Deus eſt exiſtens*. Dixi autem *tanquam partes principales ſui*, quia licèt in propoſitionibus categoricis poſſint addi voces aliæ circa prædicatum, aut ſubjectum, tamen non ſunt partes principales: id ſolis prædicato, ſubjecto, & copulæ convenit, ut *Petrus Antonii filius*, *eſt ſapiens*, voces *Antonii filius*, non ſunt de eſſentia propoſitionis categoricæ. Propoſitio *compoſita*, ſeu *hypothetica*, eſt oratio conſtans pluribus enuntiationibus ſimplicibus aliquo vinculo copulatis, ut *Petrus dormit & Paulus vigilat*, *Si æger dormit*, *non moritur*, &c.

4. Simplex dividitur in *Abſolutam*, ſeu *de ineſſe*, & *Modalem*. 1. judicat ſimpliciter aliquid ineſſe, aut non ineſſe alteri, ut *equus non eſt albus*: *homo eſt animal*. 2. ſignificat modum, quo unum conveniat, aut non conveniat alteri, ut *Petrus non benè ſcribit*:

Pau-

Paulus benè ſcribit: homo neceſſariò eſt animal. Vides, quòd *benè*, aut *non benè*, & *neceſſariò* ſignificant modos, quibus hęc prædicata conveniant, aut non conveniant ſubjectis.

5. *Categorica* dividitur in *Univerſalem*, *Particularem*, *Singularem*, & *indefinitam*. *Univerſalis* eſt, cujus ſubjecto affigitur particula Univerſalis, ut *omnis homo eſt animal*, *nullum animal eſt lapis*. *Particularis* eſt, cujus ſubjectum afficitur ſigno particulari, ut *hic homo currit*. *Singularis*, cujus ſubjectum eſt ſingulare, ut *Petrus currit*. *Indefinita* denique eſt, cujus ſubjectum, licèt commune ſit, nullo afficitur ſigno, ut *homo eſt rationalis*.

6. In *Neceſſariam*, *Contingentem*, & *Impoſſibilem*. *Neceſſaria* eſt, quando inter ſubjectum, & prædicatum eſt nexus indiſſolubilis, ut *homo eſt animal: homo* enim, & *animal*, non poſſunt ſeparari. *Contingens* eſt, quando ille nexus eſt diſſolubilis, ut *homo eſt albus*; poteſt enim *homo* eſſe ſine *albedine*. *Impoſſibilis eſt*, quando prædicatum, & ſubjectum jungi non poſſunt, ut *homo eſt lapis*.

7. In *Infinitam*, & *finitam*. *Finita* eſt, in qua prædicatum, aut ſubjectum nulla negatione afficiuntur, ut *homo eſt lapis*. *Infinita* verò, in qua prædicatum, aut ſubjectum aliqua negatione afficiuntur, ut *non homo eſt lapis*, aut *homo eſt non lapis*.

8. In Propoſitionem *de 2. adjacente*, & *de 3. adjacente*. Prior eſt ea, in qua non eſt niſi ſubjectum, & verbum, quod vices gerit copulæ, & prædicati, ut *Petrus amat*: poſterior eſt ea, in qua explicitè ponuntur ſubjectũ, prædicatũ, & verbum, ut *Petrus eſt amans*.

9. In *Directam*, & *Indirectam*. *Directa* eſt, in qua ſuperius prædicatur de inferiori, ut *Petrus eſt ſubſtantia*. *Indirecta*, in qua inferius prædicatur de ſuperiori, ut *Subſtantia eſt Petrus*.

Aliæ ab authoribus ſolent adduci diviſiones, ſeu appellationes, quas, quia ſunt minoris momenti, lubens omitto, brevitati conſulens. Unum addo, ſcilicet, quòd in omnibus propoſitionibus quatuor hæc notantur, *Materia*, *Forma*, *Quantitas*, & *Qualitas*, ſubſtantia addunt alii. *Materia*, attenditur penes objecta, de quibus formatur propoſitio. *Forma*, eſt copula, quæ unit prædicatum cum ſubjecto, ſe-

tundùm affirmationem, & negationem. *Quantitas* explicat extenſionem, vel reſtrictionem ejus, ut ſi ſit univerſalis, vel particularis, vel indefinita. *Qualitas*, denique attenditur penes affirmationem, vel negationem, quæ afficit copulam, ſeu verbum.

§. III.

De propoſitione hypothetica, quid ſit, & quotuplex.

JAm diximus propoſitionem hypotheticam eſſe illam, quæ conſtat ex pluribus categoricis, tanquam principalibus ſui partibus, ut *ſi homo currit, non ſedet*, ubi notandum eſt ex Joanne de Magiſtris, quòd dicitur *hypothetica*, [a] non quòd una propoſitionum categoricarum ſit ſubjectum, & altera prædicatum, ſed quòd una eſt in potentia ad aliam, & ſe habet per modum determinabilis, & hoc ſenſu illi ſubjacet, & ſupponitur alteri.

Dividitur in *copulativam*, & *diſiunctivam*, & *conditionalem*. 1. eſt, quando ambæ categoricæ ſunt perfectæ, & conjunguntur per particulam conjunctivam &, v. g. *Petrus ſedet*, & *Paulus currit*. 2. eſt, ſi conjungantur per diſiunctivam particulam, *Vel*, v. g. *Dies eſt, vel nox eſt*. 3. eſt ea, in qua una eſt perfecta, & altera imperfecta, ſic, ut unius veritas ab alia dependeat, & conjungatur per particulam *Si*, ut *ſi Petrus currit, movetur*. Hæc verò accedit ad eam, quæ dicitur *intellectiva*, ſeu *rationalis*, in qua duæ propoſitiones nectuntur per illationem, *Ergo*. Perinde enim eſt, ac ſi diceres, *Petrus currit, ergo movetur*. Item cum alia, quæ dicitur *Cauſalis*, eò, quòd propoſitiones jungantur per particulam *Quia*, ut ſi dicas, *quia ſol lucet, dies eſt*.

Notantur autem quædam regulæ pro dignoſcenda veritate, & falſitate harum propoſitionum, & 1. generaliter loquendo, in his propoſitionibus complexis veritas, aut falſitas ſe tenet ex parte conjunctionis, & ex dependentia unius ab alia, non verò ex ipſis propoſitionibus ſimplicibus ſecundùm ſe. V. g. hæc hypothetica eſt vera, licèt antecedens ſit falſum, *Si Petrus eſt aſinus, eſt rudibilis*. Igitur conditionalis

[a] *tr. 1. de prop. hyp.*

lis eſt vera, quando ex una ejus parte rectè infertur altera, ut in allato exemplo, nam ex eo, quòd *ſit aſinus*, rectè infertur, quòd *ſit rudibilis*, quia rudibilitas eſt differentia eſſentialis, aut ſaltem proprietas aſini, & per conſequens tunc conditionalis eſt falſa, quando non rectè una infertur ex alia, ut *Si Petrus eſt coloratus, eſt albus, quia ex eo, quòd ſit coloratus, non ſequitur*, quòd ſit albus potiùs, quàm *rubens*, aut *niger*.

2. Ut *Cauſalis* ſit vera, requiritur 1. ut utraque pars ſit vera, & 2. quòd una ſit cauſa alterius, ſcilicet, ut antecedens ſit cauſa conſequentis, cum enim dicis, *quia homo eſt animal, eſt lapis*, idem eſt, ac ſi diceres, *animalitas in homine eſt cauſa, cur ſit lapis*, quod eſt falſum, eſt autem vera, ſi dicas, quia *homo eſt animal, ſentit*, nam animalitas eſt verum principium ſentiendi.

3. Copulativa eſt vera, quando ejus partes veræ ſunt, & falſa, ſi partes ſunt falſæ ambæ, aut ſaltem una illarum, unde iſta eſt vera, *homo eſt animal, & Petrus eſt rationalis*. Hæc autem falſa, *homo eſt animal, & Petrus eſt lapis*.

4. *Disjunctiva*, ut ſit vera, una ſimplicium, ſeu partium debet eſſe vera, & altera falſa: unde ſi utraque ſit vera, aut utraque falſa, propoſitio complexa erit etiam falſa, quia de ratione propoſitionis disjunctivæ eſt, ut una pars poſſit affirmari, altera negari, unde hæc vera eſt, *aut Petrus eſt animal, aut eſt lapis*, hæc autem eſt falſa, *aut Petrus eſt animal, aut eſt homo*. Hæc enim non eſt propriè disjunctiva.

§. IV.

De propoſitione modali.

PRopoſitio *modalis* illa dicitur, quæ ſignificat modum, ſecundum quem prædicatum convenit ſubjecto, ut *homo neceſſariò eſt animal*. Modus autem tripliciter exprimitur in propoſitione, *adjectivè, ſubſtantivè*, & *adverbialiter*. *Adjectivum* afficit ſubjectum, *ut homo doctus prudenter agit*: vel prædicatum, ut *homo eſt animal ſapiens*: in prima *doctus* modificat ſubjectum: in 2. *ſapiens* modificat prædicatum. *Subſtantivum* afficit etiam ſubjectum, &

prædicatum, ſed in obliquo, ut *Orationes Ciceronis ſunt elegantiores*, vel *homo eſt capax diſciplinæ*, in 1. *Ciceronis* modificat ſubjectum, in 2. *Diſciplinæ* afficit prædicatum. *Adverbium* autem regulariter afficit verbum, ut *Deus exiſtit neceſſariò*, *homo neceſſariò eſt rationalis*.

Quadruplex eſt modus juxta differentiam materiæ, *Neceſſarius*, *Contingens*, *Poſſibilis*, & *Impoſſibilis*, & juxta hos modos, propoſitio modalis alia eſt *neceſſaria*, alia *contingens*, alia *poſſibilis* alia *impoſſibilis*. 1. eſt, quando prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, ut *homo neceſsariò eſt animal*. 2. quando prædicatum ita convenit ſubjecto, ut poſſit non convenire, ut *homo eſt doctus contingenter*. 3. quando prædicatum ſic ineſt ſubjecto, ut poſſibile ſit ineſſe, & poſſibile ſit non ineſſe, ut *homo poteſt eſse beatus*. 4. quando impoſſibile eſt prædicatum convenire ſubjecto, ut, *impoſſibile eſt hominem eſse lapidem*.

Propoſitio *modalis* eſt vera, quando modus habet neceſſariam connexionem cum dicto, ut *homo eſt neceſsariò rationalis*. Hæc eſt vera, quia ille modus connectitur cum rationali in homine. Si verò dicas, *homo eſt contingenter rationalis*, erit falſa, quia illa contingentia non connectitur cum dicto illo, ut meliùs percipiatur,

Nota, quòd propoſitio *modalis* in duplici ſenſu ſpectari poteſt ſcilicet in *ſenſu compoſito*, *& diviſo*. Senſus *compoſitus eſt*, quando prædicatum tribuitur ſubjecto pro eodem tempore, quod importatur per verbum, ut *ſtantem ſedere impoſſibile eſt*, ideſt, impoſſibile eſt, qui ſtat, ſedeat pro eodem tempore, quo ſtat, & ſic modalis illa vera eſt in ſenſu compoſito: in ſenſu autem *diviſo*, ſc. ſi prædicatum tribuatur ſubjecto pro diverſo tempore ab eo, quod importatur per verbum, tunc falſa erit illa eadem modalis: nam idem erit, ac ſi diceres: *impoſſibile eſt*, *ut ille*, *qui hodie ſtat*, *cras ſedeat*.

Nota, quòd *modalis* tunc dicitur affirmativa, aut negativa, cùm affirmatio, aut negatio cadit in modum, ut *homo non neceſsariò eſt albus*, eſt modalis negativa, hæc autem *homo eſt contingenter albus*, eſt affirmativa. In ſingulis autem modalibus poſſunt fieri 4. propoſitiones. 1. Si affirmetur dictum, & modus,

dus, ut *poſſibile eſt Petrum currere* 2. Si negetur utrumque, ut *Petrum non currere non eſt poſſibile.* 3. Si affirmetur modus, ut *Petrum currere non eſt poſſibile.* 4. Si negetur dictum, & affirmetur modus, ut *Petrum non currere eſt poſſibile.*

§. V.

De Propoſitione exponibili.

PRopoſitio tunc dicitur *exponibilis*, cùm expoſitione indiget propter aliquod Syncategorema, quod in ea implicitè, vel explicitè ponitur, per quod redditur obſcura, & dubia, ut *homo in quantum rationalis diſcurrit*, ly, *in quantum* reddit propoſitionem obſcuram, & poteſt eſſe ſenſus, quòd *homo rationalis diſcurrit*, vel quod *per rationabilitatem diſcurrit.*

Triplex eſt, *Excluſiva, Exceptiva, Reduplicativa.* *Excluſiva* eſt ea, in qua ponitur particula excludens, ſeu quæ ex ſuâ ſignificatione importat excluſionem, ut, *ſolus, unicus, tantùm, tantummodò*, &c. v. g. *ſolus homo eſt riſibilis*, hæc propoſitio exponitur per iſtas, *omnis homo eſt riſibilis, & nullus alius eſt riſibilis.*

Exceptiva conſtat ſigno exceptivo, qualia ſunt, *præter, niſi, præterquam*, &c. quæ efficiunt propoſitiones obſcuras, & indigentes expoſitione, & dicuntur ſigna exceptiva, quia ſignificant exceptionem alicujus contenti ſub aliquo diſtributo, v. g. *omne animal præter piſcem reſpirat*, Senſus eſt, *nullus piſcis reſpirat, & omne aliud animal reſpirat.*

Reduplicativa dicitur illa, quæ afficitur ſigno aliquo reduplicativo, ſeu geminata propoſitione mediante tali ſigno, cujuſmodi ſunt hæ voces, *Ut, in quantum, quatenus, ſecundùm quod*, &c. Et dicuntur ſigna reduplicativa, quia denotant rationem, ſeu cauſam, propter quam aliquid de alio dicitur, v. g. *homo, ut rationalis, eſt intelligens*, & ſic exponitur: *homo intelligit, quia eſt rationalis.*

Quatuor concurrunt in propoſitione reduplicativa, ſc. ſubjectum, prædicatum, terminus reduplicatus, & ſignum reduplicans. In exemplo allato, *homo*, eſt ſubjectum: *intelligens*, eſt prædicatum: *ut rationalis*, eſt terminus reduplicatus, *ut*, ſeu, *in quantum*, eſt ſignum reduplicans. Quando autem propoſitio

ſitio reduplicativa eſt affirmativa, æquivalet, & exponitur per quatuor propoſitiones categoricas. 1. affirmat prædicatum de ſubjecto, v. g. *homo eſt intelligens.* 2. affirmat terminum reduplicatum de ſubjecto, ut iſta, *omnis homo eſt rationalis.* 3. affirmat prædicatum de reduplicato, ut *omne rationale eſt intelligens*, & 4. reddit rationem, quarè prædicatum inſit ſubjecto, quaſi dicas, quia *homo eſt rationalis, eſt intelligens*, ſeu, *rationalitas eſt cauſa intelligentię.*

Breviùs tamen dixeris hujuſmodi propoſitiones exponi poſſe per unam hypotheticam cauſalem, v. g. *homo eſt intelligens, quia eſt rationalis.* Idem cum proportione dicendum de reduplicativa negativa.

Aliqui mentionem faciunt de aliquot aliis ſpeciebus propoſitionum exponibilium, v. g. *de inceptiva, & deſitiva, de infinita, diſtributiva, exceſſiva*, & *diſtinctiva*. Sed de his ſatis.

§. VI.

De Oppoſitione propoſitionum ſimplicium.

OPpoſitio eſt *repugnantia duarum propoſitionum idem ſubjectum, & prædicatum habentium, in univoca ſignificatione penes aſſirmationem, & negationem, quantitatem, & qualitatem.* Ex quo vides multa requiri ad veram oppoſitionem. 1. ut *ſint duæ propoſitiones:* nihil enim ſibi opponitur. 2. ut *habeant idem ſubjectum, & prædicatum:* cujus defectu iſtæ non opponuntur, *Petrus currit*, & *Petrus non loquitur:* nec iſtæ, *Petrus currit*, & *Paulus non currit*, duę priores non habent idem prædicatum, nec duæ poſteriores idem ſubjectum. 3. copula utriuſque debet importare idem tempus, & maximè in contingentibus: quia propoſitiones neceſſarię abſolvuntur à tempore, ideſt, ſignificant, & verificantur de omni tempore, ut *homo eſt animal.* Ideò iſtæ non opponuntur, *Petrus currit*, & *Petrus non currit.* 4. eundem locū, ex quo defectu iſtę non repugnant, *Chriſtus in cœlo non eſt ſub ſpeciebus panis:* & *Chriſtus in Euchariſtia eſt ſub ſpeciebus panis.* 5. tàm prędicatum, quàm ſubjectum debent ſumi in univoca ſignificatione: ideo iſtę non opponuntur, dum loquens de leone vero, de leone picto, & de leone ſydere, dicis *Leo eſt animal*, & *Leo*

non

non eſt animal, prior verificatur de leone vero, 2. de leone picto, vel ſydere. 6. Debent eſſe eadem ſigna, & adverbia, cujus defectu nec iſtæ opponuntur, *Petrus ſcribit*, & *Petrus non ſcribit benè*. Uno verbo ad veram oppoſitionem ambæ propoſitiones debent habere eundem penitùs ſenſum, excepto quòd una eſt negativa, & altera affirmativa. Addimus tamen, *ſecundum qualitatem*, *aut quantitatem*; propter ſubalternantes, quæ, ut dicemus, differunt in *quantitate*, & conveniunt in *qualitate*, quatenùs ambæ ſunt affirmativæ, vel ambæ negativæ, ſed una illarum eſt univerſalis, altera particularis. Aliæ verò opponuntur etiam in *qualitate*, quia altera eſt affirmativa, & altera eſt negativa.

Quadruplex eſt Oppoſitio, *contraria*, *contradictoria*, *ſubcontraria*, & *ſubalterna*. *Contraria* eſt repugnantia duarum propoſitionum, quarum una eſt univerſalis affirmativa, altera univerſalis negativa, ut *omnis homo eſt juſtus*, & *nullus homo eſt juſtus*. *Subcontraria* eſt repugnantia duarum, quarū una eſt particularis affirmativa, altera particularis negativa, ut *aliquis homo eſt juſtus*, *aliquis homo non eſt juſtus*. *Contradictoria* eſt repugnantia duarū, quarū una eſt affirmans univerſalis, altera particularis negans, ut *omnis homo eſt juſtus*, & *aliquis homo non eſt juſtus*; vel quarū una eſt affimativa de aliquo particulari, & negativa de eodē, ut *Petrus eſt juſtus*, & *Petrus non eſt juſtus*. *Subalterna* denique eſt duarū, quarum una eſt univerſalis affirmans, & altera particularis affirmans, ut *aliquis homo eſt juſtus*, *omnis homo eſt juſtus*, quæ omnia ad oculū patent in hoc vulgari Schemate.

omnis homo eſt juſtus. — Contrariæ. — nullus homo eſt juſtus.

Subalternæ. — contra dic toriæ. — contra dic toriæ. — Subalternæ.

Subcontrariæ.

aliquis homo eſt juſtus. — aliquis homo nō eſt juſtus.

Circa tales propoſitiones nota 1. quòd in *Contrariis*, quæ ſunt in materia neceſſaria, vel impoſſibili, ſi una duarum eſt vera, alia erit neceſſariò falſa, quia, in neceſſariis prædicatum convenit neceſſariò ſubjecto communi, & omnibus individuis contentis ſub illo, ſicut in impoſſibilibus prædicatum habet neceſſariam repugnantiam cum ſubjecto, & omnibus ſub illo contentis, v. g. *omnis homo eſt animal*, quia hæc eſt neceſsariò vera, ideò ejus contraria, ſcilicet, *nullus homo eſt animal*, eſt neceſsariò falſa. Similiter iſta impoſsibilis, *omnis homo eſt equus*, eſt neceſsariò falſa, & iſta, *nullus homo eſt equus*, eſt neceſsariò vera.

Non ita eſt de contingentibus; in iis enim utraque contraria poteſt eſse falſa, *ut omnis homo eſt juſtus*, & *nullus homo eſt juſtus*. Quia cùm prædicatum contingenter, & non neceſsariò inſit ſubjecto, nec per conſequens omnibus contentis ſub illo, & cùm propoſitiones univerſales ſint falſæ, ſi vel unum individuum contentum ſub illarum ſubjecto communi reperiatur, in quo non ſit juſtitia, prior illa affirmativa univerſalis erit affirmativa falſa; & ſimiliter, ſi vel unus homo reperiatur habens juſtitiam, illa altera univerſalis negativa erit falſa: ſed licèt in contingentibus poſſint eſſe ambæ falſæ, non tamen poſſunt eſſe ambæ veræ.

Pro *ſubcontrariis* dantur duæ regulæ: 1. eſt, quòd in neceſsariis, & impoſſibilibus, ſi una eſt vera, altera eſt neceſſariò falſa, ut *aliquis homo eſt animal*, hæc neceſſariò eſt vera, & *aliquis homo non eſt animal*, hæc eſt falſa neceſſariò. Similiter hæc impoſſibilis eſt falſa, *aliquis homo eſt equus*, & hæc vera, *aliquis homo non eſt equus*. 2. eſt, quòd in contingentibus utraque poteſt eſſe vera, ut *aliquis homo eſt juſtus*, & *aliquis homo non eſt juſtus*, ambæ verò non poſſunt eſſe falſæ, ut patet in exemplo propoſito.

Subalternæ opponuntur ſolùm penes quantitatem, quatenùs una eſt univerſalis, & altera particularis; alioqui ambæ ſunt affirmativæ, aut negativæ, ut patet in ſchemate. Et ideò hæc oppoſitio non eſt rigoroſa, cùm non ſit penes affirmationem, & negationem, quod tamen requiritur ad propriam oppoſitionem. De his autem notatur, quòd in ma-

teria

teria neceſſaria ambæ poſſunt eſſe veræ, aut falſæ; ſed in materia contingenti ſubalternans poteſt eſſe falſa, v. g. *omnis homo eſt juſtus*, & ſubalternata erit vera, ut iſta, *aliquis homo eſt juſtus*. Si autem ſubalternata ſit falſa, ſubalternans non poterit eſſe vera, ſi enim falſum eſt, quòd *aliquis homo eſt juſtus*, longè falſius eſt, quòd *omnis homo eſt juſtus*. De *Contradictoriis* datur unica regula, ſcilicet, quòd una illarum ſemper eſt vera, & altera falſa, quia repugnat idem eſſe, & non eſſe. Unde circumferuntur hæc axiomata receptiſſima, *quodlibet eſt, vel non eſt*, & *de quolibet verum eſt affirmare, vel negare*.

§. VII.

De Æquipollentia Propoſitionum.

Æ*Quipollentia* deſcribitur idem valor, eademque vis duarum propoſitionum idem prædicatum, & ſubjectum habentium ſub diverſis ſignis. Id accidit ordinariè propter negationem, quæ præponitur, vel poſtponitur ſubjecto, vel ſimul præponitur, & poſtponitur: *aliquis homo non eſt albus* æquivalet iſti, *non omnis homo eſt albus*.

Pro his dantur tres regulæ hoc verſu contentæ.

Præ contradic, poſt contra, præ, poſtque ſubalter.

1. Regula eſt *præ contradic*: ſenſus eſt, quòd ſi negatio præponatur ſimplicis propoſitionis ſubjecto, fiet æquivalens ſuæ contradictoriæ: v.g. ecce duas contradictorias, *omnis homo eſt juſtus*, & *aliquis homo non eſt juſtus*: ſi dicas, *non aliquis homo non eſt juſtus*, propter additionem negationis ad ſubjectum, idem eſt, ac ſi diceres, *nullus eſt homo, qui non ſit juſtus*, ſeu *omnis homo eſt juſtus*.

2. Regula, *poſt contra*. Negatio poſtpoſita ſubjecto unius propoſitionis facit eam æquivalentem ſuæ contrariæ: v. g. ecce duas contrarias, *omnis homo eſt juſtus*, & *nullus homo eſt juſtus*: ſi addas negationem poſt ſubjectum iſtius poſterioris, dicaſque, *nullus homo non eſt juſtus*, idem eſt, ac ſi diceres, *omnis homo eſt juſtus*, quæ erat altera contraria.

3. Regula, *præ, poſtque ſubalter*. Et ſenſus eſt, quòd ſi ponas unam negationem ante ſubjectum, & unam

poſt

poſt illud, efficies unam æquivalentem ſuæ ſubalternæ, v. g. hæ ſunt ſubalternæ, *omnis homo eſt juſtus*, & *aliquis homo eſt juſtus*. Si ponas ſubjectum iſtius inter duas negationes dicens, *non aliquis homo non eſt juſtus*, idem eſt, ac ſi diceres, *omnis homo eſt juſtus*, quæ erat altera ſubalterna.

Ut autem faciliùs memoria teneas ſigna, quibus præpoſita, vel poſtpoſita negatione, propoſitiones fiunt æquipollentes, accipe hos verſus, qui totum continent myſterium, & explicant.

Non omnis, quidam, non omnis non, quaſi nullus;
Nonnullus, quidam, ſed nullus non, valet omnis,
Non aliquis, nullus, non quidam non, valet omnis,
Non alter, neuter, neuter non, dicit utrumque.

§. VIII.

De Converſione propoſitionum ſimplicium.

Converſio propoſitionum eſt mutatio prædicati in ſubjectum, & viciſſim: unde ſequitur ab una ad aliam conſequentia, verbi gratia *aliquis homo eſt animal*, & *aliquod animal eſt homo*, ecce duas propoſitiones converſas. 1. dicitur converſa, & 2. convertens.

Triplex autem aſſignatur *converſio*. 1. dicitur *ſimplex*, in qua, remanente eadem qualitate, & quantitate, ſubjectum unius fit prædicatum alterius, & viciſſim; ideòque dicitur ſimplex, quia eſt totalis, & mutua, ut *nullus lapis eſt homo*, ergo *nullus homo eſt lapis*. Vides totalem, & omninò mutuam converſionem, nam utraque eſt univerſalis, & negativa, & nihil aliud advenit, quàm mutatio ſubjecti unius in prædicatum alterius. Idem eſt in his duabus particularibus affirmativis, *aliquis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo*.

2. Converſio dicitur *per accidens*, & eſt, quando prædicatum unius fit ſubjectum alterius mutata quantitate, ſed remanente qualitate, quia una fit de univerſali particularis, ut *omnis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo*. Similiter *nullum animal eſt lapis*, ergo *aliquis lapis non eſt animal*. Utraque tam convertens, quàm converſa remanet

manet affirmativa, aut negativa, ſed ſolùm mutatur quantitas, quia converſa erat univerſalis, & convertens eſt particularis. 3. Dicitur Converſio *per contrapoſitionem*, quando ſcil. prædicatum unius fit ſubjectum alterius, & viciſſim, remanente ſemper eadem qualitate, & quantitate, ſed mutatis terminis finitis in infinitos, v. g. *omnis homo eſt animal*, ergo *omnis non animal eſt non homo*: ſimiliter, *quidam homo non eſt lapis*, ergo *quidã non lapis eſt non homo*. Hæc tamen tertia, non eſt propriè converſio, quia ſubjectum, & prædicatum convertentis non ſunt propriè eadem, quæ erant in converſa, nam in iſta erant finiti, & in convertente fiunt infiniti, ſcil. *non homo*, *non lapis*, &c.

Iſtud etiam myſterium quibuſdam verſibus comprehenditur; quos, ut capias, præmitto, quatuor eſſe literas vocales, quas *Caballiſticas* dicimus, & quæ denotant quantitatem, & qualitatem propoſitionum. A. deſignat propoſitionem univerſalem affirmativam, & E. univerſalem negativam, I. particularem affirmativam, & O. particularem negativam, ut his duobus verſibus notatur.

Aſſerit A, *negat* E, *verùm univerſaliter ambo*,
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter ambo*.

His ſuppoſitis, ecce alios verſus, qui continent ſpecies, & regulas converſionum.

FECI, ſimpliciter convertitur; *EVA* per accidẽs,
ASTO per contrap. ſic fit converſio tota.

FECI, ſeu E. & I. id eſt univerſalis negativa, & particularis affirmativa convertuntur *ſimpliciter*. *EVA*, ſeu E. & A. id eſt univerſalis negativa, & univerſalis affirmativa convertuntur *per accidens*. ASTO, ſeu A. & O. id eſt univerſalis affirmativa, & particularis negativa, convertuntur *per contrapoſitionem*.

PROLUSIO VI.

De modo ſciendi.

NOmine *modi ſciendi* intelligitur *oratio ignoti manifeſtativa*, quia ordinatur ad manifeſtandas res ignotas, ſive actu id præſtet, ſive non, modò ſit apta ſecundùm regulas, ſecundùm quas id debet operari. Tales ſunt, *diviſio*, *definitio*, *diſtinctio*, & *argumentatio*, de quibus hac Proluſione.

§. I.

§. I.
De Diviſione. Quid, et Quotuplex ſit.

PEr *definitionem* quidem habetur diſtincta rei cognitio, ſed hæc inquiritur per *diviſionem*. Priùs enim dividendum eſt, quàm definiendum, niſi res aliter poſtulet. Ideò priùs de diviſione agimus.

Diviſio deſcribitur, *oratio totum in ſuas partes diſtribuens*, ſeu *explicans per partes*. Ut ſi dicas, *homo dividitur in corpus, & animam, homo* dicitur totum diviſum, & *corpus*, & *anima* ſunt partes dividentes, ſeu membra dividentia.

1. Alia eſt *diviſio vocis*, ſeu *nominis*, alia *rei*. Prior eſt diſtributio nominis in ſua ſignificata, ut vox *Canis*, ſignificat *animal domeſticum*, *ſydus ęthereum*, & *piſcem marinum*. Poſterior eſt oratio, quæ rem in ſuas partes diſtribuit, v.g. *hominem*, in animam, & corpus.

2. Diviſio *rei*, alia eſt *phyſica*, quæ rem in ſuas partes phyſicas diſtribuit, v. g. *hominem* in corpus, & animam: alia *metaphyſica*, quæ in partes metaphyſicas, ſcil. genus, & differentiam, v. g. *homo conſtat animalitate, & rationalitate*: alia *eſſentialis*, quæ in partes eſſentiales, ut in allatis exemplis: alia *integralis*, quæ in partes integrantes, ut ſi dicas, homo conſtat capite, brachiis, trunco, cruribus, &c.: alia *accidentalis*, quę in partes accidentales, ut ſi dicas, homo habet quatuor qualitates, eſt calidus, frigidus, humidus, & ſiccus: alia dicitur *potentialis*, qua aliquid dividitur in partes, quas actu non habet, ſed poteſt habere, ut ſi dicas, *animal* aliud eſt *rationale*, aliud *irrationale*, & dicitur etiam diviſio generis in ſpecies; & pertinet ad Logicum, vel Metaphyſicum: alia *actualis*, quæ in partes, quas actu habet, ut *homo* in corpus, & animam, &c.

Bonæ *diviſionis* leges ſunt, 1. Ne habeat multa diviſionis membra, ad vitandam confuſionem. 2. Ut unum membrum non includatur in alio, v.g. *animal*, aliud eſt rationale, aliud eſt homo, mala eſt diviſio, quia rationale includitur in homine, membra autem dividentia debent habere inter ſe repugnantiam, ut rationale, & irrationale, in quæ dividitur animal,

3. Ut

3. Ut membra dividentia adæquent totum diviſum; ita ut nec excedantur ab illo, alioqui diceretur manca, nec illud excedant. 4. Ut fiat in membra proximiora, ideò non diceres, *animal* dividitur in Petrum, & Bucephalum, ſed in hominem, & brutum.

§. II.
De Definitione, quid, et qualis ſit.

DEfinitio cõmuniter deſcribitur, *Oratio explicans naturam rei*, ut cùm dicis, *homo eſt animal rationale, homo* eſt definitum, & *animal rationale* eſt definitio.

Definitio, alia eſt *nominis*, alia *rei*. 1. explicat ſignificatum nominis per interpretationem, & etymologiam, ut ſi dicas, Philoſophia eſt amor ſapientiæ. 2. explicat naturam rei ſignificatæ per nomen, ut ſi dicas, *Philoſophia eſt rerum humanarum, divinarumque cognitio.*

Definitio *rei*, alia dicitur *eſſentialis*, quia explicat naturam rei per prædicata eſsentialia, ut *homo eſt animal rationale*: alia *deſcriptiva*, quæ explicat rem per proprietates, & accidentia, ut ſi dicas, *homo eſt animal riſibile*, loquax, bipes, rectum, &c. Rurſus, *Eſſentialis*, alia eſt *metaphyſica*, ut in allato exemplo, alia *phyſica*, explicans naturam rei per prædicata eſſentialia phyſica, ut *homo eſt compoſitum ex corpore, et anima ſpirituali*. Prior debet fieri per genus, & differentiam metaphyſicam, ut ſunt *animal*, & *rationale* in homine, poſterior verò per genus, & differentiam, ſeu per materiam, & formam ſubſtantialem phyſicam, ut *corpus*, & *anima ſpiritualis*.

Regulæ bonę definitionis ſunt, 1. ut ſit clarior definito, quia debet ejus naturam manifeſtare, & dicere diſtinctè id, quod res non monſtrabat niſi implicitè, & confusè. 2. ut definitio ſit convertibilis cũ definito, ita ut poſſit dici, *homo eſt animal rationale*, ergo *animal rationale eſt homo*, & viciſsim, *eſt homo*, ergo *eſt animal rationale*. 3. ut nihil redundet, nihil habeat ſuperfluum, v.g. hæc definitio eſset vitioſa, *homo eſt animal rationale, bipes, et mortale*, quia voces, *bipes* & *mortale*, & ſimiles ſunt ſuperfluę. 4. ut detur per genus proximũ, & differentiã immediatã, nõ verò per remo-

tam;

tam, quia per genus, & differentiam remotã non conſtituitur ſpecies, v.g. ſi definias hominem, *ſubſtantiam viventem*, vitioſa erit definitio, quamvis utrunque ſit homini eſsentiale, quia deeſt differẽtia.

Nota etiã, ex Doctore,[1] illud, quod propriè definitur, debere eſſe *ens poſitivum, unum per ſe, reale, compoſitum, et univerſale*. Ideò nec ens rationis, nec ens negativum, nec ens ſingulare, nec aggregata per accidens, poſsunt perfectè definiri. Ens quippe rationis non habet eſſe: ens negativum nihil eſt, ſed eſt tantùm negatio entis: ens ſingulare, ut tale, non eſt definibile, juxta illud Philoſophi, *particularium non eſt definitio*.

§. III.
De Diſtinctione, et Identitate.

QUia inter philoſophandum ſæpiſſimè occurrunt voces *diſtinctionis*, & *identitatis*, ſicut neceſſarium eſt benè dividere, ita & benè diſtinguere ad inveſtigandas rerum naturas. Sicut enim diviſio eſt aptiſſimum indagandarum rerum inſtrumentum, quatenus per partes, & ſingillatim examinantur mediante diviſione; ita etiam *diſtinctio*, & *identitas*. Nam diſtinctione inſtructus intellectus, rerum omnium veluti anatomiam, & diſſectionem facit. Ideò hìc paucula de illis perſtringemus, donec locus, & tempus occurrerint fusè de illis differendi.

Diſtinctio eſt *alietas unius rei ab altera*, ſeu *relatio quædam, qua una res non eſt alia*, v.g. id, quo corpus non eſt anima. Et ſicut ſequitur naturam entis, & eorum, quæ per eam ſe ſe reſpiciunt, ita multiplex eſt, ſicut & illa.

Dividitur 1. in diſtinctionem *ex natura rei*, & *rationis*. 1. eſt ea, quæ ineſt rebus independenter ab operatione intellectus, ut inter animam, & corpus. 2. quæ non ineſt, niſi dependenter ab operatione intellectus, qui concipit aliquid, ut duo, quod omninò eſt idem in ſe.

2. Diſtinctio *ex natura rei* dividitur in *realem*, & *formalem*. 1. eſt, quæ reperitur inter *rem*, & *rem*. 2. inter *formalitatem*, & *formalitatem*, vel inter *rem*, & *for-*

[1] *In 4. d.1.q.1.*

formalitatem. 1. igitur eſt inter ea quæ vel actu ſunt ſeparata, vel ſeparabilia, aut ſe habent ad invicem, ut producens, & productum, & hæc dicitur abſolutè, & ſimpliciter realis, & ſubdividitur in *realem majorem*, quæ eſt inter res, quarum unaquæque ſeparata poteſt exiſtere, ut corpus, & anima, & *realem minorem*. quæ eſt inter res, quarum una poteſt quidem ſeparari, ſed non exiſtere ſine alia; ideò dicitur *realis minor*, quia illud extremum, quod non poteſt exiſtere ſine alio, non eſt propriè res, ſed *realitas*, ſeu *modus* aliquis rei; & ideò etiam dicitur *realis modalis*. Ita diſtinguitur ſedens à ſua ſeſſione, & ſubjectum à ſuo accidente, iſtud enim poteſt quidem abeſſe à ſubjecto, ſed non poteſt exiſtere ſine illo. Dixi autem, *quorum unum ſe habet ut producens, alterum, ut productum*, propter perſonas divinas, quæ non poſſunt ullo modo ſeparari; ſed tamen realiter diſtinguuntur, quia Pater reſpectu Filii eſt producens, & Filius eſt productus; & ſimiliter Spiritus ſanctus eſt productus à Patre, & Filio.

Diſtinctio *formalis* apud aliquos, & aliquando idē ſignificat, quod d ſt nctio *rationis*, quam intellectus ponit in rebus, quas concipit ut diſtinctas, quàmvis non ſint, ut quando concipit hominem ſecundùm rationalitatem, non cogitans de animalitate, quàmvis ſecundùm ipſos rationalitas, & animalitas à parte rei ſunt una omninò formalitas. Apud aliquos idem ſignificat, quod diſtinctio *e'entiarum*; ſicut enim eſſentiæ ſunt formæ totales entium, ſic diſtinctio *eſſentiarum* dicitu *formalis*, & hoc ſenſu, Petrus diſtinguitur *formaliter* à Bucephalo, & hæc eſt realiſſima. Apud alios, *Diſtincti formalis realis, ſeu ex natura rei*, ea dicitur, quæ reperitur non inter entia, & formas, & res, ſed inter entitates formalitates, & realitates, quæ ſunt aliqua diminutiva entis, ideò dicuntur *entitates*, & *formæ*, dicuntur *formalitates*, & *res*, dicuntur *realitates*, & deſcribuntur, *entitates*. eorſim conceptibiles ex natura ſua, licèt non poſſint nec ſeparari à re, cujus ſunt, nec a ſe invicem, nec advenire de novo. Tales ſunt gradus entis, *animalitas*, *rationalitas*, & *riſibilitas* in homine. Talia ſunt in Deo, *ſapientia*, *juſtitia*, *omnipotentia*, & cętera attributa, & hæc eſt famoſa illa diſtinctio *formalis* Scotiſtarum.

Ea,

Ea, quæ dicimus diſtingui hac diſtinctione, diſtinguunt Thomiſtæ, diſtinctione *rationis ratiocinatæ*, ſeu fundatæ, aut, *cũ fundamento in re*. Neoterici verò, *diſtinctione virtuali*, quę nõ eſt formalis actualis, ſed quædam ęquivalens diſtinctioni reali in ordine ad cognitionem, quatenus ea, quibus ineſt, poſſunt cognoſci ſine ſe invicem, quamvis in ſe ſint realiter idem. Sed de his in Metaphyſica. Hæc prælibaſſe tyronibus ſufficiat. Nihil dico de idenfitate, quia explicari facilè poteſt per oppoſitionem diſtinctionis. Identitas enim eſt indiſtinctio rei, & totuplex eſt, quotuplex diſtinctio.

§. IV.

De Argumentatione, quid, et quotuplex ſit.

UT *argumentationis* natura, ſicut & alia philoſophica elementa, quæ hucuſque expoſuimus, meliùs percipiatur; ſupponendum eſt communiter mentis operationes in tres claſses diſtribui. 1. dicitur *ſimplex apprehenſio*, ſeu actus intellectus, quo res apprehendit, nihil de illis affirmando, vel negando, ſicut oculus intuens colorem, nihil de illo affirmans, vel negans. Ad hanc operationem reducuntur, & pertinent omnes termini ſimplices. 2. eſt actus intellectus, quo aliquid affirmat, vel negat de aliquo. Ideò vocatur *compoſitio*, quia componit unum cum alio. Vocatur *judicium*, quia per eum actum intellectus judicat de objecto ſuo, affirmando, ideſt, componendo, vel dividendo, ideſt, negando unum de alio, *ut Petrus eſt homo*, aut *Petrus non eſt lapis*. Ad hanc operationem pertinent ea, quæ diximus de enuntiatione, ſeu propoſitione. 3. denique operatio mentis vocatur *diſcurſus*, ſeu *argumentatio*, *aut ratiocinatio*, & eſt *operatio*, ſeu *actus intellectus*, *quo ab una cognitione*, *et judiciò procedit ad aliud*. Unde argumentatio, *eſt oratio*, *in qua unum ex alio deducitur*, ut cùm dico, *homo eſt animal*, *ergo homo eſt ſubſtantia*.

In *argumentatione* tria repeririuntur, 1. *antecedens*, ſcil. propoſitio, ſeu iudicium, ex quo aliud colligitur, 2. *conſequens*, ſcil. propoſitio, ſeu judicium, quod ex alio deducitur, & 3. *nota illationis*, ergo, igitur, aut

aliud

aliud æquivalens. Unde in allato exemplo, *homo eſt animal*, dicitur antecedens, *homo eſt ſubſtantia*, dicitur *conſequens*, & vox *ergo* eſt nota illationis, ſeu conſequentiæ. Nam valdè diverſa ſunt hæc duo, *conſequens*, & *conſequentia*: nam *conſequens* eſt propoſitio, quæ infertur ex alia, *conſequentia* verò eſt *vis*, ſeu *nexus*, & *illatio*, per quam *conſequens* deducitur, aut nectitur cum *antecedente*, & ille *nexus*, ſeu *illatio*, & *conſequentia*, ſignificatur per vocem, *ergo*, vel æquivalentem. Quapropter conſequens poteſt eſſe verum, licèt conſequentia ſit mala, ut ſi dicas, *homo eſt animal*, ergo *Petrus eſt juſtus*: nam iſtud conſequens, licèt verum eſſe poſsit, non tamen ſequitur ex illo antecedente, nec ullam habet connexionem cum illo. Similiter conſequens poteſt eſſe falſum, licèt conſequentia ſit bona, ut ſi dicas, *homo eſt aſinus*, ergo *eſt irrationalis*. Antecedens eſt falſum, & bona conſequentia.

Argumentationis communiter aſsignantur quinque ſpecies, *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Inductio*, *Exemplum*, & *Gradatio*. Syllogiſmus eſt argumentatio conſtans tribus propoſitionibus, quarum tertia infertur ex duabus prioribus, v.g. *omnis homo eſt rationalis*, ſed *Petrus eſt homo*, ergo *Petrus eſt rationalis*. 1. dicitur *major*, 2. *minor*, 3. *concluſio*. Duæ primæ dicuntur *præmiſſæ*.

Enthymema eſt argumẽtatio conſtans duabus propoſitionibus, quarum una infertur ex alia, ut *omnis homo eſt rationalis*, ergo *Petrus eſt rationalis*, prior dicitur *antecedens*, poſterior *conſequens*; eſtque Syllogiſmus imperfectus, & quaſi truncatus, cui ſi addas propoſitionem, quæ ſuppreſſa erat, v. g. minorem, in allato exemplo, evadet perfectus, & integer

Inductio eſt argumentatio progrediens à ſingularibus ſufficiẽter enumeratis ad univerſale, ut ſi dicas, *hic Logicus eſt ſapiens*, *& hic Logicus eſt ſapiens* (& ſic de ſingulis omnibus, & tandem concludas, *ergo omnes Logici ſunt ſapientes*.

Exemplum eſt argumentatio ab uno, vel pluribus particularibus ad aliud particulare propter aliquam convenientiam, aut ſimilitudinem, v.g. *Petrus pænitens juſtificatus eſt*, *Magdalena pœnitens juſtificata eſt*, ergo *& tu pænitens juſtificaberis*.

Gra-

Gradationem addunt aliqui; & dicitur argumentatio à pluribus propoſitionibus ordinatis ad primā aliquam, ut ſi dicas, *Petrus eſt homo, homo eſt animal, animal eſt ſubſtantia, ſubſtantia eſt ens*, ergo à primo ad ultimum *Petrus eſt ens*. Hæc facilè reducitur ad Inductionem.

Dilemma, ſeu *argumentum cornutum*, addunt alii, quia duas habet partes in antecedente, ex quarum utraque arguitur intentum. V.g. vis probare aliquem eſſe ignavum, aut hebetem, ſic argues, *aut ſtuduiſti, vel non ſtuduiſti: ſi non ſtuduiſti, cùm nihil profeceris, ergo hebes es: ſi ſtuduiſti, ergo ignavus, & piger es*. Dicitur etiam *ſorites*, quia in quamcunque partem diverteris, capieris. Hæ autem omnes ſpecies Argumentationis reducendæ ſunt ad Syllogiſmum, ut perfectè concludant, quia ipſe ſolus eſt perfecta Argumentatio, & de illo deinceps agendum

PROLUSIO VII.

De Syllogiſmo, ejus partibus, ac ſpeciebus.

SYllogiſmus eſt totius Dialecticæ ſcopus, & finis, quem qui attigerit, is verus, & bonus erit Dialecticus. Ideò relictis aliabus ſpeciebus argumentationis, quæ, ut jam monui, ſunt reducendæ ad formam ſyllogiſticam, ut perfectè concludant, de illo hic agimus.

§. I.

Quid ſit, & quotuplex Syllogiſmus.

PRæter definitionem Syllogiſmi, quam aſſignavimus, Ariſtoteles illum iterum definit [1] *Orationem; in qua quibuſdam poſitis, aliud quid à poſitis, ex neceſſitate contingit, eò, quòd hæc poſita ſint.* 1. *Oratio*, ponitur loco generis, & in hoc convenit cum aliis ſpeciebus Argumentationis. 2. *in qua quibuſdam poſitis*, id eſt, diſpoſitis ſecundùm rectum ordinem modi, & figuræ, & jam per hoc incipit differre Syllogiſmus ab aliis. 3. *aliud quid à poſitis*, id eſt,

[1] *Prior. c.*1.

eſt, alia propoſitio à præcedentibus diſtincta. 4. *ex neceſſitate contingit*, id eſt, neceſſariò deducitur. 5. *eo, quòd hæc ſint*, id eſt, ex vi formæ. Hæc autem definitio, ut patet, coincidit cum alia, quam in præcedenti paragrapho aſſignavimus.

Circa tres ultimas particulas Ariſtotelicæ definitionis de concluſione Syllogiſmi, quæ ſequitur ex neceſſitate, poſitis præmiſſis, nota, quòd concluſio illa ſequitur aliquãdo *ex neceſſitate conſequentiæ*, & *aliquando ex neceſſitate conſequentis.* Primũ dicitur, quãdo ſequitur vi formæ, ſeu diſpoſitionis terminorum, licèt ex vi materiæ poſſit non ſequi, ut ſi dicas, *omnis homo eſt lapis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt lapis.* Nã ex vi formæ ſyllogiſticæ hæc concluſio bona eſt, ſed ratione materiæ eſt falſa, ſeu conſequens eſt falſum, quia ſequitur ex majori, quæ eſt falſa, ut patet. Dicitur autem ſecundum, quando nulla habita ratione formæ ſyllogiſticæ, concluſio ſequitur neceſſariò ex præmiſſis propter connexionem, quam habent inter ſe, & ex ſe, v. g. *omne animal eſt vivens, omnis homo eſt vivens, ergo omnis homo eſt animal:* hoc argumentum peccat in formá, & tamen totum eſt verum ratione materiæ, non verò formæ, ſeu verum eſt ex neceſſitate conſequentis, non conſequentiæ.

Syllogiſmus dividitur, 1. in *Categoricum*, & *Hypotheticũ.* 1. componitur ex propoſitionibus *categoricis*, ut *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal;* poſterior verò conſtat una, aut pluribus *hypotheticis*, v. g. *ſi omnis homo currit, movetur*, ſed *omnis homo currit*, ergo *omnis homo movetur.*

Categoricus dividitur in *Communem*, & *Expoſitorium*. 1. conſtat medio communi, ut *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo*, ergo *Petrus eſt animal*. Vides, quòd *homo*, qui eſt medius terminus, eſt terminus communis. 2. verò conſtat medio termino particulari, ſeu propoſitionibus ſingularibus, quæ rem exponunt tam clarè, ut eam ob oculos ponere videantur, ideò dicitur Expoſitorius, ut *Petrus eſt doctor*; ſed *Petrus eſt homo*, ergo *aliquis homo eſt doctor*.

Communis ſubdividitur in *Demonſtrativum*, *Topicum*, & *Sophiſticum*. *Demonſtrativus*, quem *Epidicticum* Græci vocant, ille eſt, qui conſtat propoſitionibus univerſalibus, neceſſariis, certis, &

evidentibus, ex quibus paritur ſcientia, v. g. *omne animal eſt ſenſitivum, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſitivus.*

Topicus, ſeu Dialecticus conſtat propoſitionibus tantùm probabilibus, & propterea non gignit, niſi opinionem, v. g. *omnis mater diligit filium, Helena eſt mater Petri, ergo Helena diligit Petrum*, illa major eſt tantùm probabilis, quia plures matres non diligunt, aut poſſunt non diligere filios, & ideò concluſio eſt tantùm probabilis, & non gignit ſcientiam, ſed tantùm opinionem.

Sophiſticus eſt ille, qui non habet formam, nec per conſequens bonitatem, niſi apparentem propter aliquam æquivocationem, aut amphibologiam, & ideò de ſe generat errorem potiùs, quàm ſcientiam, vel opinionem, ut *omnis canis latrat*, ſed *ſidus aliquod eſt canis*, ergo *ſidus aliquod latrat*. Vides æquivocationem eſſe ſub nomine *canis*, quod in majori ſupponit pro cane domeſtico, & in minori, & in concluſione pro ſidere.

§. II.

De partibus, & materia Syllogiſmi.

JAm diximus, Syllogiſmum conſtare tribus propoſitionibus, quarum 1. dicitur *major*, 2. *minor*, & 3. *concluſio*. Partes autem aliæ ſunt materiales, aliæ ſunt integrantes, aliæ eſſentiales. Eſſentiales ſunt *materia*, & *forma*. Materia autem alia eſt *remota*, alia *proxima*. Materia *remota* ſunt termini, ſeu voces, ſeu potiùs res per voces ſignificatæ, & ex quibus vocibus fiunt propoſitiones: Materia *proxima* ſunt tres propoſitiones prædictæ. *Termini*, qui & *extrema* vocantur, ſunt tres in quolibet Syllogiſmo, & non plures. Unus dicitur *Majus extremum*, alter *Minus extremum*, 3. *Medium*. *Majus extremum* eſt terminus qui cum medio ponitur in majori, *Minus extremum* eſt ille, qui ponitur cum eodem medio in minori, *Medium* deniq; eſt terminus, qui aſſumptus ad probandam concluſionem bis ponitur in præmiſſis. V.g. *omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis*; *Homo* eſt medium aſſumptum ad proban-

bandam riſibilitatem in *Petro*, & ponitur in utraque præmiſſa, *Riſibilis* eſt majus extremum, & *Petrus* eſt minus extremum, & hęc duo ſemper conjunguntur in concluſione, quam *medium* nunquam ingreditur. *Major* ſolet etiam vocari ſimpliciter *propoſitio*, *minor* dici ſolet & *aſſumptum*. Particula *ergo* non eſt pars, ſed ſignum, ſeu nota illationis, ſeu concluſionis, ſeu conſequentiæ.

§. III.
De Forma ſyllogiſtica.

PEr Formam ſyllogiſticam intelligimus *rectam diſpoſitionem materiæ*, id eſt, terminorum, & propoſitionum, *in debita figura*, *&* *modo*. Figura autem conſiſtit *in debita diſpoſitione terminorum*, *ſcil. majoris*, *& minoris extremi cũ medio*. Modus verò *in debita diſpoſitione propoſitionum ſecũdùm qualitatem*, *& quantitatem*. Quid autem ſignificetur nomine *Quantitatis*, & *Qualitatis* in propoſitionibus, jam dictum eſt.

Figuræ propoſitionum tres communiter aſsignantur, & Galenus addit quartam, quæ ab ejus nomine dicitur Galenica. 1. eſt ea, in qua medium ſubjicitur in majori, & prædicatur in minori, ut

Omnis homo eſt animal,
Omne riſibile eſt homo,
Ergo omne riſibile eſt animal.

Vides, quòd *homo* eſt *medium*, & ſubjicitur in majori, & prædicatur in minori.

2. Figura eſt ea, in qua medium bis prædicatur, ſcilicet in utraque præmiſſa, v.g.

Nulla planta eſt animal,
Omnis homo eſt animal,
Ergo nullus homo eſt planta.

Vides, *animal*, quod eſt *medium*, prædicari in utraque præmiſsa.

3. Eſt ea, in qua medium bis ſubjicitur, v. g.

Omnis homo eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt vivens,
Ergo aliquod vivens eſt ſubſtantia.

Vides, quòd *homo* in utraque præmiſsa eſt *ſubjectum*. Quartam dicunt, eam eſſe, in qua medium

prædicatur in majori, & ſubjicitur in minori, ſeu eſt quædam tranſpoſitio propoſitionum, quarum minor fit major, & primo loco ponitur & ideò ad primam facilè revocatur, ſi reſtituatur prior ordo, qui eſt naturalior, & directior, v. g.

Omne riſibile eſt homo,
Omnis homo eſt animal,
Ergo omne riſibile eſt animal.

Vides, hanc figuram non differre à prima, niſi accidentaliter, & penes illam tranſpoſitionem, ideòque de illa parùm curandum eſt.

Tres autem Figuræ hoc verſu explicantur,

Sub, præ prima; bis præ ſecunda; tertia bis ſub.

Vel clariùs his duobus,

Prima priùs ſubdit medium, poſt prædicat ipſum:
Altera bis dicit: bis tertia ſubjicit ipſum.

§. IV.
De Modis ſyllogiſticis.

Modus Syllogiſmi, qualem ſupra definivimus, duplex eſt, *Directus*, & *Indirectus*. Prior ille eſt, in quo majus extremum prædicatur de minori extremo in concluſione, ut patet in allato Syllogiſmo pro prima figura: Poſterior verò ille eſt, in quo minus extremum prædicatur de majori extremo in concluſione, ut ſi dicas, *omnis homo eſt animal, omne riſibile eſt homo, ergo omne animal eſt riſibile*. Rurſus, alii ſunt *utiles*, *alii inutiles*. *Utiles* communiter numerantur 19. quorum novem primi pertinent ad primam figuram, quatuor ad ſecundam, & ſex ad tertiam, & hi omnes his verſibus barbaris continentur, quò faciliùs memoriæ commendentur,

ad 1. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,*
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
ad 2. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barroco,* (ad 3.) *Darapti,*
ad 3. *Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Quæ ut percipias, adverte 1. quòd in ſingulis vocibus tres ſunt ſyllabę aptandæ tribus propoſitionibus Syllogiſmi. Nam in voce *Baralipton*, Syllaba *ton*, & in voce *Friſeſomorum*, ſyllabæ *morum* redundant, & ſunt additæ ad perficiendum carmen. 1. verò ſingularum vocum ſyllaba deſignat majorem propoſitio-

tionem, 2. minorem, 3. concluſionem.

2. Nota in ſingulis vocibus tres ex his quatuor literis vocalibus, A, E, I, & O. quarum prima, ut jam monuimus, ſignificat propoſitionem univerſalem affirmativam, 2. univerſalem negativam, 3. particularem affirmativam, & 4. particularem negativam, & quidem indicant propoſitiones eodem ordine, quo in ſingulis vocibus ponuntur dictæ vocales. V.g. CELARENT deſignat, quòd ſecundus modus primæ figuræ habet *majorem*, quæ eſt univerſalis negativa, *minorem*, quæ eſt univerſalis affirmativa, & concluſionem, quæ eſt univerſalis negativa. Damus Exempla ſingulorum modorum ad majorem claritatem.

Modi I. Figuræ Directi.

1.

Bar	Omne animal eſt vivens,
ba	Omnis homo eſt animal,
ra.	Ergo omnis homo eſt vivens.

2.

Ce	Nullus lapis eſt vivens,
la	Omnis adamas eſt lapis,
rent.	Ergo nullus adamas eſt vivens.

3.

Da	Omne animal eſt vivens
ri	Aliquod brutum eſt animal,
i.	Ergo aliquod brutum eſt vivens.

4.

Fe	Nullus lapis eſt vivens,
ri	Aliquis adamas eſt lapis,
o.	Ergo aliquis adamas non eſt vivens.

Modi indirecti.

1.

Ba	Omne animal eſt vivens,
ra	Omnis homo eſt animal,
lip.	Ergo aliquod vivens eſt homo.

2.

Ce	Nulla virtus eſt vitium,
lan	Omnis juſtitia eſt virtus,
tes.	Ergo nullum vitium eſt juſtitia.

3.

Da	Omnis virtus eſt amanda,
bi	Aliquod honeſtum eſt virtus,
tis.	Ergo aliquod amandum eſt honeſtum.

4.

Fa	Omne animal eſt ſubſtantia,
peſ	Nullus lapis eſt animal,
mo.	Ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.

5.

Fri	Quædam virtus eſt amanda,
ſe	Nullum vitium eſt virtus,
ſo.	Ergo aliquid amandum non eſt vitium.

Modi 2. Figuræ.

1.

Ce	Nulla virtus eſt contemnenda,
ſa	Omne vitium eſt contemnendum,
re.	Ergo nullum vitium eſt virtus.

2.

Ca	Omne vitium eſt puniendum,
meſ	Nulla virtus eſt punienda,
tres.	Ergo nulla virtus eſt vitium.

3.

Feſ	Nulla virtus eſt vitium,
ti	Ambitio eſt vitium,
no.	Ergo ambitio non eſt virtus.

4.

Bar	Omnis virtus eſt amanda,
ro	Aliquod vitium non eſt amandum,
co.	Ergo aliquod vitium non eſt virtus.

Modi III. Figuræ.

1.

Da	Omnis virtus eſt amanda,
rap	Omnis virtus eſt ardua,
ti.	Ergo aliquod arduum eſt amandum.

2.

Fe	Nullus homo eſt lapis,
lap	Omnis homo eſt ſentiens,
ton.	Ergo aliquod ſentiens non eſt lapis.

Di

3.

Di Quoddam animal eſt rugibile,
ſa Omne animal eſt vivens,
mis. Ergo aliquod vivens eſt rugibile.

4.

Da Omnis virtus eſt amabilis,
ti Aliqua virtus eſt juſtitia,
ſi Ergo juſtitia eſt amabilis.

5.

Bo Aliquis homo non eſt equus,
car Omnis homo eſt ſentiens,
do. Ergo aliquod ſentiens non eſt equus.

6.

Fe Nullum vitium eſt amandum,
ri Aliquod vitium eſt voluptas,
ſon. Ergo voluptas non eſt amanda.

Hi ergo modis continetur omnis recta, & efficax argumentatio, & ideò quidquid ſub aliquo eorum non concluditur, ſuſpecta eſt conſequentia, & neganda.

In ſecunda, & tertia non aſſignantur modi indirecti, quia, cùm modus ille dicatur indirectus, in quo majus extremum prædicatur de minori extremo, & majus extremum dicatur ille terminus, qui nobiliorem locum obtinet, ſeu qui prædicatur in præmiſſis, ſequitur, nullum eſſe majus, aut minus extremum in duabus poſterioribus figuris, quia in 2. utrunque extremum prædicatur, & in 3. utrunque ſubjicitur in præmiſſis, ideò modi omnes earum ſunt directi, quo ad hoc, quia in his ſemper prædicatur majus extremum. Nam majus extremum pro illis duabus figuris dicitur eſſe terminus, qui prædicatur in concluſione.

§. V.

De principiis, ac regulis generalibus Syllogiſmi.

Tanta eſt efficacia, & vis bonæ argumentationis, & artificii Syllogiſtici, ut conceſſis præmiſſis, intellectus aliquo modo cogatur ad aſſentiendum concluſioni, vis autem illa fundatur in duobus, aut tribus principiis, de quibus non poteſt diſconveniri. Primum eſt, *Dici de omni*, & *Dici de nullo*. 2. *Quæ*

ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. 3. *Quæcunque repugnant uni, etiam repugnant illis, quæ cum eo idem ſunt.*

Dici de omni, inſervit ad regulandos ſyllogiſmos affirmativos, & ſenſus eſt, quòd quidquid prædicatur de aliquo univerſali, dicitur de omnibus contentis ſub illo, v.g. quicquid dicitur de *animali* in genere, dicitur de *rationali*, & *irrationali*, ſeu de *homine*, *& brutis*. *Dici de nullo*, inſervit ad regulandos negativos, & ſenſus eſt, quòd quidquid negatur de termino univerſali, negatur de omnibus contentis ſub illo, v.g. quia negatur de animali, quòd ſit ſpiritus, item negatur de omni bruto, & homine. Iſtud non inſervit Syllogiſmis expoſitoriis, in quibus ſubjectum non eſt terminus communis, ſed particularis, ut dictum eſt.

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, & *quorum unum eſt idem uni tertio, cũ quo alterum non eſt idem, non poſſunt eſſe idem inter ſe.* Iſtius prima pars valet etiam pro affirmativis, & 2. pro negativis. Super hoc principio maximè fundatur tota vis Syllogiſtica, ut notat Doctor, [1] v.g. quia Petrus, & animal reperiuntur identificata in homine, arguitur, quòd ſint identificata inter ſe, ea ſcil. identitate, qua ſunt eadem illi tertio, ſc. homini, nempe identitate reali, non formali. Unde ſic conficis Syllogiſmum, *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, eſt in *Darii*, & poſtquam in majori aſſeruiſti identitatem realem *animalis* cum *homine*, & in minori identitatem *Petri* cum eodem medio, ſcil. *homine*, rectè infers, quòd *Petrus*, & *animal* inter ſe idem ſint realiter.

Dixi, *eadem identitate, qua ſunt eadem uni tertio*, & non majori. Unde, quæ ſunt tantùm idem realiter medio, ſeu tertio, & formaliter non eadem, non poſſunt eſſe eadem inter ſe, niſi realiter, & diſtinguuntur formaliter quæ ſunt eadem tertio: *eſſentialiter realiter*, & diſtincta *formaliter*, ac *perſonaliter*, non poſſunt eſſe inter ſe idem, niſi realiter eſſentialiter, ut Perſonæ Divinæ Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quæ ſunt idem *realiter eſſentialiter* cum natura divina, ſeu cum Deitate, ſunt idem inter ſe eſſentialiter, ſed non

[1] *In* 1.*d*.2.*q*.7. 11. *n*.47.

non perſonaliter, imò perſonaliter diſtinguuntur.

Quæcunque repugnant uni, repugnant etiā illis, quæ cum eo idem ſunt. Iſtud convenit cum 2. parte præcedenti, ut patet, & inſervit pro Syllogiſmis negativis, v.g. quia *lapis* repugnat *animali*, ideò repugnat omnibus aliis, quę cum *animali* ſunt idem, v.g. cum *bruto*, & *homine*. Unde ſic argumentaris, *nullum animal eſt lapis, ſed brutum eſt animal, ergo brutum non eſt lapis*.

Non diſputo de duobus prioribus principiis, quodnam ſit firmius, & univerſalius. Quidam primas tribuunt illi, *Dici de omni*, quia univerſalius verum videtur, quàm ſecundum. Iſtud enim videtur deficere in divinis, ubi perſonæ divinæ diſtinguuntur realiter inter ſe, licèt ſint idem in eſſentia. Sed ego potiùs dicerem cum Scotiſtis, & aliis communiter, iſtud poſterius prævalere, & illud primum ab iſto dependere. Nam per iſtud regulantur omnia quoad *eſſe*, & per illud non regulantur, niſi quoad *dici*, & unum non dicitur de alio, niſi quia ineſt illi, & cum illo eſt idem. Ideò affirmatio fundatur ſuper identitate, & negatio ſuper diſtinctione, ſeu repugnantia. Unde *animal* dicitur de *Petro* in concluſione, quia in præmiſſis probatum eſt, quòd eſt in *homine*, & quòd *Petrus* eſt *homo*. Et deniquè illud axioma, *Dici de omni*, non videtur habere locum in Syllogiſmis expoſitoriis, ut jam notavimus. Quidquid ſit, utrunque bonum eſt, & hoc ſufficiat nobis pro nunc.

Sufficit, inquam, ut videamus, artificium Syllogiſticum in hoc conſiſtere, quòd concluditur, aut cognoſcitur aliqua identificari, & de ſe invicem prædicari in concluſione, quia vidimus in præmiſſis, quòd conveniant, ſeu ſint idem uni tertio, & colligimus aliqua non convenire inter ſe, ſed repugnare, quia vidimus in pręmiſſis, unū illorū repugnare cum medio aliquo tertio, cum quo alterum convenit. V.g. *nullum animal eſt lapis, Petrus eſt animal*, ergo *Petrus non eſt lapis*, infero, quòd *Petrus*, & *lapis* repugnant inter ſe, quia in majori vidi, quòd *lapis* repugnat *animali*, cum quo *Petrus* apparuit identificatus in minori.

Porrò ex his principiis ſequuntur aliquot regulæ generales pro omnibus figuris, & 1. eſt, quòd *ex vero nunquam ſequitur falſum*. Quomodò enim poteſt

eſſe vera connexio extremorum cum medio, niſi & ipſa connectantur verè inter ſe? Unde dicitur communiter, *non poſſe quem neceſſitari ad aſſentiendum falſo, ex eo, quòd aſſentiatur vero.*

2. *Aliquando ex falſo infertur verum*, ut ſi dicas, *Omnis lapis eſt animal, omnis homo eſt lapis, ergo omnis homo eſt animal*, utraque præmiſſa falſa eſt, & conſequens eſt verum, & conſequentia bona. Nam ſi ſemel admiſeris identitatē *hominis*, & *animalis* cum *lapide*, licèt ſit falſa, cogeris admittere identitatem *hominis*, & *animalis*, quæ eſt vera.

3. *Ex puris negativis nihil poteſt inferri*, v.g. *homo non currit, equus non eſt homo, ergo equus non currit*, quia ſicut ad uniendum duo aliqua in concluſione debent uniri cum medio, ſeu tertio aliquo; ſic ad illa dividēda debet adeſſe tertium, cum quo unū uniatur, & alterum repugnet. Et inde eſt, quòd ex duabus affirmativis ſemper ſequitur concluſio affirmativa, ſed ex una affirmativa, & altera negativa concluſio ſemper debet eſſe negativa propter rationem allatam.

4. *Ex purè particularibus nihil infertur*, ſaltem legitimè ex vi formæ, v.g. *aliquis homo currit, aliquis homo eſt albus, ergo aliquod album currit*, non valet conſequentia. Ratio eſt, quia ad hoc, ut extrema concluſionis poſſint inferri unita, oportet, ut unita fuerint ambo cum medio in præmiſſis, medium autem non poteſt dici unitum cum illis in pręmiſſis, niſi ſaltem in alterutra fuerit diſtributum, ideſt ſumptum in ſua latitudine, ſeu pro toto. Si enim utrobique ſumatur ſingulariter, non erit idem utrobique, ſed diſtinctiſſimus. In majori *homo* ſumitur, aut ſumi poteſt pro aliquo Ægyptio nigro, v.g. qui currit, & in minori ſumi poteſt pro Europęo albo, qui ſedet, & ſic falſum erit, aut eſſe poterit, aliquem album currere, unde aſſignatur hęc regula alio modo, ſc. quòd *medium debet diſtribui, id eſt, ſumi, & ſupponere pro toto in alterutra præmiſſarum.*

4. Eòdem facit & iſta, quòd *in Syllogiſmo debent eſſe tres termini, & non plures, ſive formaliter, ſive æquivalenter*, v.g. *omnis homo diſcurrit, Gallus eſt homo, ergo Gallus diſcurrit*. Ibi ſunt quatuor termini propter æquivocationem: nam *Gallus* in minori ſupponit pro homine, & in concluſione pro *Gallo gallinaceo*,

naceo. Similiter in exemplo præcedentis regulæ ſunt quatuor termini; nam, ut diximus, in majori *aliquis homo*, ſupponit pro uno particulari, v.g. *Ægyptio currente*, & in minori pro alio, v.g. pro Europæo albo. Uno verbo, quoties unus trium terminorum ſumitur in diverſo ſenſu in præmiſſis, aut in concluſione, ſunt quatuor, aut plures termini, & ſic non habet locum axioma, *quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. Et ideò nihil concluditur vi formæ, quamvis fortè ex vi materiæ conſequentia poſſit eſſe vera. Si tamen ille terminus particularis afficeretur aliquo ſigno, quo denotaretur, illum ſumi utrobique pro eodem, conſequentia eſſet bona, quia non eſſent quatuor termini, v. g. *aliquis homo currit*, *hic aliquis homo eſt albus*, *ergo aliquis albus currit*, particula *hic* denotat, *hominem* pro eodem ſumi in minori, & in majori.

5. *Ex præmiſſis affirmativis ſequitur concluſio affirmativa*. Nam oſtenſa, & affirmata identitate extremorum cum medio in præmiſſis, non poteſt non affirmari in concluſione identitas eorum inter ſe.

6. *Ex præmiſſis univerſalibus debet inferri concluſio univerſalis*, quia ſcil. in præmiſſis oſtenſa fuit identitas extremorum univerſalium cum tertio. Dixi autem, quòd *debet inferri concluſio univerſalis ex vi formæ*, ut ſignificarem poſſe nihilominùs inferri particularem, v. g. *omne animal eſt vivens*, *omnis homo eſt animal*, ſequitur, *omnis homo eſt vivens*, & tamen inferri poteſt, *ergo Petrus eſt vivens*. Sed hæc poſterior non eſt immediata, & integra, ſed diminuta, quia colligit partem, cum deberet colligere totum.

7. *Concluſio debet ſequi debiliorem partem*. Unde ſi una præmiſſarum eſt negativa, aut particularis, concluſio debet eſſe negativa, & particularis. Ratio eſt, quia effectus non ſuperat cauſam ſuam; pręmiſſæ autē ſunt cauſæ concluſionis, ſi ergo una ex præmiſſis ſit particularis, concluſio eſſet nobilior, ſi eſſet univerſalis, ſimiliter ſi una præmiſſarum ſit negativa, & inferretur concluſio affirmativa. Præterea, ſi ex una pręmiſſarum particulari inferretur concluſio univerſalis, fieret progreſſus à non diſtributo ad diſtributum. Nam in propoſitione particulari terminus communis non diſtribuitur, id eſt, non ſumitur ſe-

cundùm totam ſuam latitudinem, benè verò in concluſione univerſali pro negativis ; alia ratio eſt, quia, ut jam diximus, in præmiſſa negativa, negata eſt identitas unius extremorum cum medio, ergo non poteſt affirmari ejuſdem identitas cum alio extremo, & ſic peccaretur contra primum illud principium formæ Syllogiſticæ, *quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. Idem eſt in caſu, quo una præmiſſarum ſit particularis, quia in ea extremum illud non fuit unitum cum medio diſtributè, ſeu univerſaliter, ergo non poterit diſtributè, & totaliter uniri cum alio extremo in concluſione, ut ſæpè dictum eſt.

8, Denique ex illo eodem principio, *quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. ſequitur, quòd omnes argumentationis ſpecies debent reduci ad Syllogiſmum, quia in illo ſolo exprimitur illud tertium, & identitas extremorum cum illo : id enim fieri non poteſt, niſi in duabus præmiſſis, ut patet,

§. VI.

De regulis ſingularum figurarum.

PRæter aſſignatas regulas, & principia Syllogiſmi in communi, aſſignantur aliquot pro ſingulis figuris in particulari.

Pro prima figura duæ ſunt regulæ hoc verſu contentæ,

Sit minor affirmans, nec major ſit ſpecialis.

Id eſt, minor debet eſſe affirmativa, & major debet eſſe univerſalis, quod facilè videbis in ſingulis novem modis hujus figuræ.

In 2. figura, *Una negans præeat, nec major ſit ſpecialis.*

Id eſt, una præmiſſarum debet eſse negativa, & major debet eſſe univerſalis.

In 3. figura, *Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.*

Id eſt, minor debet eſsé affirmativa, & concluſio particularis. Nec in his placet diutiùs immorari, quia ſingulares iſtæ regulæ reducuntur facilè ad ſupradictas generales.

PRO-

PROLUSIO VIII.

De Reductione Syllogiſmorum.

MOdi omnes ſyllogiſmorum ſupranumerati dicuntur imperfecti reſpectu, & in comparatione quatuor primorum primæ figuræ. Et quia imperfectum debet perfici, ſolent aſſignari aliquot regulæ ad reducēdos alios quindecim modos ad unum iſtorum. *Reductio* enim hìc aliud non ſignificat, quàm mutationem ſyllogiſmi imperfecti in perfectum. Et hæc mutatio fit triplici via, ſcilicet per *oſtenſionem*, per *expoſitionem*, & per *impoſſibile*.

§. I.

De reductione per oſtenſionem.

R*Eductio oſtenſiva* eſt, dum concluſio ſyllogiſmi imperfecti rurſus infertur in ſyllogiſmo perfecto, retento eodem medio, ſed præmiſſis converſis, vel tranſpoſitis. Quod ut faciliùs percipias,

Nota, quatuor iſtas litteras, B, C, D, F, à quibus incipiunt omnia 19. vocabula, totidem modos indicantia, quia deſignant modum perfectum, ad quem imperfecti debeant reduci, ſcilicet ad eum, qui ſimili littera inchoat, v. g. *Celantes* debet reduci ad *Celarent*, & ſic de cæteris.

Nota, etiam has litteras, S, P, C, M, quæ ſunt in medio earundem vocum. Nam deſignant modum, quo debeant converti propoſitiones illis ſyllabis correſpondentes. S notat propoſitionem, cui correſpondet ſyllaba, debere converti *ſimpliciter*. P notat ſuam debere converti *per accidens*. M ſignificat præmiſſas debere *tranſponi*, ita ut major ponatur loco minoris, & minor loco majoris. C denique, quod reperitur in medio dictionis, denotat modos, in quibus reperitur, non reduci, niſi per *impoſſibile*. Quod totum continetur his verſibus,

S vult ſimpliciter verti, P verò per accidens,
M vult tranſponi, C per impoſſibile duci.

Igitur modi omnes imperfecti, qui incipiunt à littera

tera B, reducuntur ad *Barbara*, ut *Baralipton*, *Baroco*, *Bocardo*, qui à litte1a C, ad *Celarent*, ut *Celantes*, *Cęſare*, & *Cameſtres*, qui à littera D, ad *Darii*, ut *Dabitis*, *Datiſi*, *Darapti*, *Diſamis*, qui ab F, ad *Ferio*, ut *Fapeſmo*, *Friſeſomorum*, *Feſtino*, *Felapton*, *Feriſon*, v.g.

Cę-	*Nullum animal eſt planta*,		Ce- *Nulla planta eſt animal*,
ſa-	*Omnis arbor eſt planta*,	in	la- *Omnis arbor eſt planta*,
re.	*Ergo nulla arbor eſt animal*.		rent. *Ergo nulla arbor eſt animal*.

Vides, quod hìc nulla ſit alia mutatio, niſi quòd ſubjectum majoris in *Cęſare*, eſt prædicatum ejuſdem in *Celarent*. Similiter ſi dicas in *Diſamis*, *Aliqua virtus eſt ardua*, *omnis virtus eſt amanda*, *ergo aliquod arduum eſt amandum*: reduces in *Darii*, ſi dicas, *omnis virtus eſt amanda*, *ſed aliquod arduum eſt virtus*, *ergo aliquod arduum eſt amandum*. Vides, quòd propter M, quæ eſt in medio vocis *Diſamis*, tranſponuntur præmiſſæ, & minor fit major propter S, quæ terminat primam ſyllabam, ſubjectum majoris in *Diſamis*, fit prædicatum minoris in *Darii*, concluſio verò eſt utrobique eadem. Reductio igitur *per oſtenſionem* fit triplici via, ſcil. vel *per converſionem ſimplicem*, vel *per tranſpoſitionem*, vel *per converſionem per accidens*.

Repete autem, quæ diximus de converſione propoſitionum, ubi definivimus converſionem ſimplicem, *mutationem ſubjecti in prædicatum*, *retenta quantitate*, & *qualitate*, Converſionem per accidens, *mutationem ſubjecti in prædicatum*, *variatione & quantitatis*, & *qualitatis*.

§. II.

De reductione per expoſitionem.

REductio fit per *expoſitionem*, cùm medium ſingulare ſubſtituitur loco medii communis, ſervata eadem concluſione, & ſic ſyllogiſmus evadit expoſitorius. V.g. *omnis homo eſt rationalis*, *omnis homo eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt rationale*, ſic reduces, *Petrus eſt rationalis*, *ſed Petrus eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt rationale*. Vides hunc ſyllogiſmū reddi

reddi adeò clarum, ut convincat penitus, & ideò dicitur expoſitorius. Hic autem modus reductionis eſt maximè proprius tertiæ figuræ.

§. III.

De reductione ſyllogiſmorum per impoſſibile.

HÆc Reductio excogitata eſt ad convincendam eorum pertinaciam, qui concluſionem argumenti imperfecti modi negarent, & per eam imperfectus ſic reducitur ad perfectum, ut qui illam concluſionem negavit, cogatur admittere duo contradictoria, vel contraria, vel ſe ſe ſocorditer retractare. Hoc autem ut præſtes,

Debes 1. invenire contradictoriam concluſionis negatæ. Illam enim neceſſariò admittet adverſarius, quandoquidem aliam ejus oppoſitam negavit, ſi eam ſubſtituas loco unius præmiſſarum, quam mox indicabo, & in concluſione inferes contradictoriam præmiſſæ, cujus locum tenet prædicta concluſio.

Ut autem videas, ad quem ex quatuor modis perfectis reducas imperfectos, notantur hæ voces, *Neſciebatis*, *Odiebam*, *Lætare*, *Romanis*, in quibus attendendæ ſunt vocales tantùm, quæ ſuo ordine reſpondent ſingulis modis imperfectis, qui reduci debent, & ſingulis quatuor perfectis, ad quos reducendi ſunt. In prima voce, quæ eſt quinque ſyllabarum, deſignantur totidem modi imperfecti primæ figuræ, in 2. quatuor 2. figuræ, & *Lætare*, *Romanis*, ſex tertiæ figuræ. Rurſus, qui deſignantur per ſingularum dictionum vocales, debent reduci ad modos perfectos, qui deſinunt in ſimiles vocales, v. g. in dictione *Neſciebatis*, E, quæ primo, & tertio loco ponitur, deſignat *Celarent*, I, quæ ſecundo, & quinto loco, deſignat *Darii*, & A, quæ quarto loco, deſignat *Barbara*.

His ſuppoſitis, hæc regula datur ad reducendos per impoſſibile modos imperfectos primæ figuræ, his duobus verſibus expreſſa.

Major ſit minor, ut ſit contradictio major,
Excipe Celantes, in quo convertitur ordo.

Scilicet, cùm tibi negatur concluſio propter inevidentiam ſyllogiſmi imperfecti, ſume contradictoriam ejus,

ejus, & pone pro majori in ſecundo ſyllogiſmo; & majorem prioris pone loco minoris in ſecundo, & in concluſione inferes contradictorium prædictæ minoris, quæ tibi conceſſa fuerat. V.g. argueras in *Baralipton*, *Omne riſibile eſt rationale*, *ſed omnis homo eſt riſibilis*, *ergo aliquod rationale eſt homo*. Porrò *Baralipton* eſt primus modus indirectus primæ figuræ, & deſignatur per primam litteram E, in dictione *Neſciebatis*, ideò debet reduci ad *Celarent*, & id præſtabis ferè inadvertenter, ſi ſic arguas, *Nullum rationale eſt homo*, *ſed omne riſibile eſt rationale*, *ergo nullus homo eſt riſibilis*. Hic poſterior ſyllogiſmus eſt perfectus in *Celarent*, & ejus major eſt contradictoria concluſionis negatæ in præcedenti, ſc. *aliquod rationale eſt homo*, ut patet: major prioris eſt minor poſterioris, & contradictoria minoris, quæ in præcedenti fuit conceſſa, eſt concluſio ſecundi, & eſt etiam concedenda in iſto, quia eſt in forma, & in modo perfecto.

In *Celantes* autem convertitur ille ordo, quatenùs in ſecundo major debet eſſe illa, quæ fuit minor in primo. Nam ſyllogiſmum in *Celantes* facis, dicens, *nullum animal eſt lapis*, *ſed omnis leo eſt animal*, *ergo nullus lapis eſt leo*. Si negetur concluſio, ſic argues in *Darii*, propter i, quæ eſt ſecunda vocalis in dictione *Neſciebatis*, nam deſignat ſecundum modum indirectum, & tertium perfectum, *omnis leo eſt animal*, *ſed quidam lapis eſt leo*, *ergo quidam lapis eſt animal*. Vides concluſionem iſtam eſſe contradictoriam majoris, quæ fuit conceſſa in præcedenti, & hanc contradictoriam debere concedi propter formam argumenti. Vides etiam, quòd minor iſtius eſt contradictoria concluſionis, quæ fuit negata in præcedenti, & per conſequens debet admitti pro vera.

Ratio autem hujus artificii petitur ex hoc communi, & recepto axiomate, *in bona conſequentia, ex contradictorio conſequentis ſequitur contradictorium antecedentis*, ſc. in omni modo utili, in quo negatur conſequentia, debet concedi contradictorium ejus, quod negatur, ex qua contradictoria conceſſa, & altera præmiſſa conceſſa, ſequitur contradictorium alterius. Qui ergo negavit hanc concluſionem, *nullus lapis eſt leo*, ex hac minori conceſſa, debet admittere

con-

concluſionem, quia major etiam conceſſa eſt, & argumentum eſt in forma.

Pro 2. figura dicitur, *ſervat majorem, variatque ſecunda minorem*. Senſus eſt, quòd in reductione ſyllogiſmorum 2. figuræ retinetur major prioris argumenti, & fit minor in ſecundo, & pro majori ponitur contradictoria concluſionis negatæ. V. g. in *Baroco* ſic arguitur, *Omnis homo eſt riſibilis, ſed aliquod animal non eſt riſibile, ergo aliquod animal non eſt homo*: ſi negetur concluſio, ſic reduces ad *Barbara*, deſignatum per A, in voce *Odiebam*, ſicut & *Baroco*, qui eſt quartus modus hujus figuræ, ſicut A eſt quarta vocalis, *omne animal eſt homo, ſed omnis homo eſt riſibilis, ergo omne animal eſt riſibile*. Ubi vides, quòd, quia negavit hanc concluſionem, *aliquod animal non eſt homo*, debet concedere hanc majorem, *omne animal eſt homo*, quia eſt contradictoria negatæ concluſionis, & cùm non poſſit negare *minorem* ſecundi, tum quia eſt vera, tum quia conceſſa fuit in primo, in quo erat *major*, debet etiam concedi conſequentia, quòd *omne animal eſt riſibile*, quia argumentum eſt in *Barbara*.

Pro 3. figura dicitur, *tertia majorem variat, ſervatque minorem*, id eſt, ſervatur minor primi ſyllogiſmi, & variatur major, ponendo ejus loco contradictoriam concluſionis negatæ, & infertur contradictorium majoris conceſſæ, v. g. in *Bocardo* ſic arguitur, *quoddam animal non videt, ſed omne animal eſt vivens, ergo quoddam vivens non videt*. Si negetur concluſio, ſic argues in *Barbara*, deſignatum per penultimam vocalem vocis, *Lætare Romanis*, correſpondentem penultimo, ſeu quinto modo hujus figuræ, quæ vocalis eſt A, *omne vivens videt, ſed omne animal eſt vivens, ergo omne animal videt*. Sed de his pluſquam ſatis. Monemus etiam Tyrones, ut ſi hæc nimiùm faſtidioſa eis viſa fuerint, non nimiùm curent, quia fortè veniet tempus, in quo meliùs illa percipient, & in eis delectabuntur.

PRO-

PROLUSIO IX.

De Syllogiſmo Demonſtrativo, Topico, & Sophiſtico.

POſtquam vidimus de natura ſyllogiſmi ſecundùm ſe formaliter, reſtant aliqua prælibanda de illius ſpeciebus ſecundùm materiam. Nam omnis Syllogiſmus in figura, & modo formatus, eſt vel in materia neceſſaria, certa, & evidenti, vel in materia tantùm probabili, & incerta, vel denique in materia falſa, & apparenter tantùm vera, aut dubia. Primus dicitur *Demonſtrativus*, ſecundus *Topicus, Probabilis, & Dialecticus*, tertius verò *Sophiſticus*, ſeu *Falſigraphus*. Pauca, inquam, de ſingulis ſunt prælibanda, & ſummatim pro inſtituto præſentis loci.

§. I.

De Demonſtratione.

DEmonſtrationis nomen ſignificat quamcunque exhibitionem, & probationem veritatis, propriè verò ſignificat *Syllogiſmum perfectum, conſtantem propoſitionibus veris, certis, & neceſſariis*, & definitur ab Ariſtotele [1] aliquando ab effectu, & dicitur *Syllogiſmus faciens ſcire*. Effectus enim demonſtrationis eſt ſcientia, aliquando à materia, & tunc dicitur *Syllogiſmus conſtans propoſitionibus veris, neceſſariis, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis*. Dicitur 1. *Syllogiſmus*, quod ponitur loco generis; per id enim convenit cum Topico, imò & cum Sophiſtico, qui eſt ſaltem apparens. 2. *conſtans propoſitionibus veris*, per quod diſtinguitur à Sophiſtico, cujus propoſitiones falſæ ſunt. 3. *neceſſariis*, ut diſtinguatur à Topico, qui conſtat probabilibus. 4. *primis, & immediatis*, quia præmiſſæ hujus Syllogiſmi debent eſſe per ſe notæ, & non probatæ per anteriores. 5. *prioribus, & notioribus concluſione*, quia in hoc Syllogiſmo proceditur à notioribus ad ignota.

Per-

[1] *Lib. 1. poſter. cap. 2. ibid.*

Perfectiſſima demonſtratio debet eſſe in *Barbara*, vel in *Celarent*. In aliis modis vix poteſt haberi perfecta.

Dividitur in Demonſtrationem *quia*, & *propter quid*. Prior eſt ea, in qua effectus demonſtratur per cauſam, poſterior verò, in qua cauſa demonſtratur per effectum.

Principia Demonſtrationis ſunt ipſæ Propoſitiones indemonſtrabiles, & per ſe notæ, ſeu pronuntiata quædam neceſſaria, & adeò claré vera, ut per ſe ipſa, & non per aliam cauſam convincant intellectum, & extorqueant aſſenſum ex ipſa terminorum apprehenſione. Ex ipſis autem principiis alia ſunt communia omnibus ſcientiis, ut iſtud, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, alia ſunt particularia aliquibus, ut iſtud, *ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia*, alia uni tantùm, ut *punctus eſt, cujus nulla eſt pars*, illa dicuntur axiomata, ſeu *dignitates*, iſta *poſitiones*.

Quæſtiones demonſtrabiles ſunt quatuor. 1. *an res ſit*, 2. *quid ſit*, 3. *qualis ſit*, & 4. *propter quid ſit*. De his fuſior erit ſermo in Logica.

§. II.

De Syllogiſmo Topico, ſeu Dialectico; ſeu Probabili.

JAm diximus, Syllogiſmum *Topicum* illum eſſe, *qui conſtat propoſitionibus probabilibus*. Propoſitio autem probabilis eſt, *quæ omnibus, vel pluribus, vel maximè ſapientibus videtur vera*, v. g. *omnis mater diligit filium, ſed Helena eſt mater, ergo diligit filium*. Triplex eſt igitur probabilitas, vel gradus probabilitatis propoſitionum. 1. earum, quæ videntur *veræ apud omnes*, v.g. quòd *ignis eſt calidus*. 2. earum, quæ videntur apud plurimos, ſed non omnes, ut, quòd *omnis mater diligit filium*. 3. earum, quæ videntur veræ aliquot ſapientibus, ver. gr. *Sol eſt major terra*, id enim videtur verum ſolis Aſtronomis, & Philoſophis.

Rurſus Propoſitiones Dialecticæ aliæ ſunt *naturales*, ut iſta, *an quolibet corpus conſtet materia, &*

for-

forma, aliæ *morales*, ut *an parentibus ſit obediendum*, aliæ *Logicæ*, ut *an tres ſint tantùm figuræ Syllogiſmorum*. Reliquæ ad has facilè poſſunt revocari.

§. III.

De Locis Topicis.

LOci nomen hic uſurpamus *Dialecticè*, non *Phyſicè*. Venit à voce græca, *Topos*, quæ ſignificat locum apud Latinos: hic verò ſignificat ſedes argumentorum, ſeu locos, ex quibus deſumi poſſunt argumenta ad quamlibet rem in utranque partem diſputandam. Dialecticis verò, & Rhetoribus valdè utiles ſunt ad colloquia, & exercitationes, & ad laudandum, aut vituperandum, movendum, & delectandum. Deficientibus enim demonſtrationibus, utimur rationibus probabilibus. Imò & ipſa prima principia demonſtrationum, cùm ſint in ſe indemonſtrabilia, debent topicis rationibus quandoque declarari, ut fit etiam in moralibus.

In locis igitur reconditæ ſunt quædam *Maximæ*, quæ habent vim principiorum, ſuntque propoſitiones quædam univerſales tantæ dignitatis, ut ab omnibus concedantur, & in eis aliæ permultæ continentur virtualiter, & accipiunt vim inferendi concluſionem, ſicut locus materialis, ac phyſicus habet vim conſervativam locati. Et duplex eſt, ſc. *maxima*, & *differentia maxima*. Locus, qui dicitur *Maxima*, eſt *propoſitio illa univerſalis, qua nulla eſt prior, aut notior in illo genere*, ſed eſt ex terminis nota, ipſique multæ argumentationes innituntur, v. g. *de quocunque dicitur definitio, dicitur definitum*, & *de quocunque prædicatur ſpecies, prædicatur & genus*, priori innititur hæc argumentatio, *animal rationale eſt riſibile, ergo homo eſt riſibilis*, poſteriori verò iſta, *Petrus eſt homo, ergo eſt animal*. Locus autem, qui dicitur *differentia maxima*, ſunt termini illi, quibus *Maximæ* differunt inter ſe, & ex quibus conficiuntur, ſic voces *Definitio*, & *Definitum*, *Genus*, & *Species*, vocantur *Differentiæ Maximæ*.

In ſingulis *Maximis* duo ſunt termini. 1. dicitur *Inferens*, ut *Definitio*, & *Species*, in allatis exemplis, & 2.

& 2. dicitur *Illatus*, ut *Definitum*, & *Genus*, in iiſdem maximis: terminus verò, qui ponitur in utraque propoſitione argumentationis, dicitur *Communicans.*

§. IV.

De locis intrinſecis.

Locus dictus *Maxima*, 1. dividitur in *Intrinſecum*, & *Extrinſecum*, & *Medium*. *Intrinſecus* eſt, quando argumenta ſumuntur ab his, quæ ad rei ſubſtantiam, ſeu eſſentiam pertinent, vel eam comitantur. Unde alius eſt locus à *ſubſtantia*, alius à *comitantibus*. Ille eſt, quando argumentum ſumitur ab his, quæ ad rei ſubſtantiam pertinent, vel convertibiliter ſe ſe inferunt, & hic propriè eſt locus à definitione ad definitum. Locus verò à *Comitantibus* ſubſtantiam deſumitur ab illis terminis, qui non important idem convertibiliter, ſed unus includitur aliquo modo in alio, ſicut pars in toto, effectus in cauſa, aut generatio in generato, &c.

Circa locum à *definitione ad definitum*, quatuor *Maximæ* circunferuntur. 1. *de quocunque prædicatur definitio, prædicatur definitum*, 2. *quidquid prædicatur de definitione, prædicatur de definito*, 3. *à quocunque removetur definitio, removetur definitum*, & 4. *quidquid removetur à definitione, removetur à definito*. Hæ autem *Maximæ* pertinere etiam poſſunt ad ſyllogiſmum demonſtrativum.

Circa locum à *Circumſtantibus* eruuntur iſtæ. 1. *à quocunque removetur univerſale, removetur qualibet pars ejus*, ut non eſt animal, ergo nec homo, nec leo, nec denique brutum. 2. *quidquid prædicatur de inferiori, prædicatur de ſuperiori*. 3. *de quo dicitur inferius, dicitur & ſuperius*, ut Petrus eſt homo, ergo eſt animal. 4. *Poſito toto integrali, ponitur quælibet pars ejus principalis, non verò minus principalis*. 5. *deſtructa parte integrali principali, deſtruitur totum*. 6. *quidquid affirmatur, vel negatur de toto in quantitate, aſſirmatur, vel negatur de omnibus, & ſingulis partibus*, v. g. omnis homo currit, ergo Petrus currit, Paulus currit. 7. *de quo affirmatur, vel negatur totum in quantitate, aſſirmantur, vel negantur*

ejus

ejus partes, v. g. negatur de lapide, quòd habeat ſenſum, ergo negatur de illo, quòd habeat viſum, auditum, &c. 8. *quidquid affirmatur, vel negatur de omnibus partibus ſimul ſumptis, affirmatur, vel negatur de toto in quantitate*, v. g. Petrus currit, Paulus currit, Socrates currit, &c. ergo omnis homo currit. 9. *de quo affirmantur, vel negantur omnes partes ſimul, affirmatur, vel negatur totum in quantitate*, v. g. Petrus habet viſum, auditum, &c. ergo habet omnes ſenſus. 10. *Deſtructo toto in modo, deſtruitur quælibet pars ejus.* 11. *quidquid prædicatur de parte in modo, prædicatur de ſuo toto, & de quocunque prædicatur pars in modo, prædicatur & totum.* 12. *cuicunque convenit totum in loco, & tempore, convenit etiam pars, & à quocunque removetur totum in loco, vel in tempore, removetur etiam pars.* Hæc autem, ut vides, ſupponunt diſtinctionem diverſorum totorum, quæ ſunt, totum *univerſale, integrale, quantitativum, modale, locale*, & *temporaneum*.

Circa locum à *cauſis*, & *effectibus*, dicuntur hæ *Maximæ*. 1. de cauſa efficiente, *poſita, vel remota cauſa efficiente in potentia, vel in actu, ponitur, vel removetur effectus in potentia, vel in actu*: item, *poſita cauſa efficiente bona, vel mala, dicitur effectus bonus, vel malus.* 2. ex parte effectus, *poſito, vel remoto effectu in potentia, vel in actu, ponitur, vel removetur cauſa efficiens in potentia, vel in actu*: item, *poſito bono, vel malo effectu, ponitur cauſa efficiens bona, vel mala.* 3. De cauſa materiali, *poſita cauſa materiali, poſſibilis eſt ſuus effectus*, v. g. poſito ferro, poſſibilis eſt gladius. Item, *remota cauſa materiali, removetur effectus*, v. g. remotis lapidibus, & lignis, &c. removetur domus. 4. pro effectu materiali, *poſito effectu, ponitur materiam permanentem fuiſſe, vel tranſeuntem*. Item, *remoto effectu, removetur cauſa materialis in actu, non tamen in potentia.* 5. à cauſa formali, *poſita, vel remota cauſa formali, ponitur, vel removetur effectus formalis*, v. g. albedo eſt, ergo album eſt, vel albedo non eſt, ergo album non eſt. 6. ab effectu, *poſito, vel remoto effectu formali, ponitur, vel removetur cauſa formalis*, v. g. album eſt, ergo albedo eſt. 7. à cauſa finali, *cujus finis eſt bonus, vel malus, ejus effectus eſt bonus, vel malus.* 8. ab effectu,

fectu, *ſi effectus ſit bonus, vel malus, finis bonus, aut malus eſt.*

Locus à *Generatione*, eſt *habitudo generationis ad genitum*, & ex hoc deducuntur ſequentes Maximæ. *Cujus generatio bona eſt, genitum eſt bonum*, & *cujus generatio mala eſt, genitum eſt malum*. Et viciſſim à *genito* ad *generationem* Maximæ, & conſequentiæ ſimiles deduci poſſunt.

Locus à *Corruptione* ſumitur penes deperditionem alicujus eſſe, & ex eo ſunt Maximæ iſtæ, *cujus corruptio eſt bonum, corruptum eſt malum*, & *cujus corruptio eſt mala, corruptum eſt bonum*. Nam ſi eſſe rei eſſet bonum, corruptio ejus eſſet mala, & è contra.

Uſus eſt exercitium alicujus rei, & ex hoc loco deducitur hæc Maxima, *cujus uſus bonus eſt, ipſum eſt bonum*.

A *communiter accidentibus*, ſi raro, ſeu non ſemper accidunt, nulla datur Maxima, ſi verò ſemper accidunt, dicere ſolent Philoſophi, *à poſitione poſterioris ſequitur poſitio prioris, non è contra*, v. gr. mulier peperit, ergo concepit, non autem dici poteſt, concepit, ergo peperit, quia multæ concipiunt, quæ non pariunt. Item *à deſtructione prioris ſequitur deſtructio poſterioris*, v. gr. non vixit, ergo neque mortuus eſt.

§. V.

De locis extrinſecis.

L*Ocus extrinſecus* eſt, quando argumentum ſumitur ab his, quæ omninò ſeparata ſunt ab eſſentia terminorum in quæſtione poſitorum, ſive quando terminus *inferens*, & terminus *illatus* non convertuntur ad invicem, imò nullo modo conveniunt, v. g. *Petrus eſt albus, ergo non eſt niger*. Nam albedo, quæ eſt terminus *inferens*, non convertitur, ſed eſt omninò differens à *nigredine*, quæ eſt terminus *illatus*. Et hujuſmodi loci ſunt octo, ſcil. *ab Oppoſitis*, à *Repugnantibus*, ſeu *Diſparatis*, à *Majori*, à *Minori*, à *Simili*, à *Tranſmutatione*, à *Tranſmutata proportione*, ab *Authoritate*, & *Mediis*.

1. Locus *ab Oppoſitis* eſt habitudo unius Oppoſiti ad aliud. De oppoſitis in communi ſunt duæ Maximæ.

mæ. 1. *de quocunque affirmatur unum oppoſitum, negatur alterum reſpectu ejuſdem, & ſecundùm idem*, v.gr. paries eſt albus, ergo non eſt niger. 2. *Oppoſita oppoſitis conveniunt*, v.g. pater eſt ſuperior, ergo filius eſt inferior.

Oppoſita autem ſunt vel *Relativa*, vel *Contraria*, vel *Privativa*, vel *Contradictoria*. Pro *Relativis* eſt hæc Maxima, *poſito, vel remoto uno relativo, ponitur, vel removetur alterum*, v.g. pater eſt, ergo filius eſt, vel, ſi pater non eſt, ergo filius non eſt. Pro *Contrariis, poſito uno contrariorum in ſubjecto, removetur alterum*, v.g. Paries eſt albus, ergo non eſt niger. Item *remoto uno contrariorum in ſubjecto capaci, & exiſtente, ponitur alterum*, v.gr. homo non eſt ſanus, ergo eſt æger. Pro *Privativis, poſito uno privativo in ſubjecto, removetur alterum*, v.g. dies eſt, ergo nox non eſt. Item, *remoto uno privativo oppoſito, ponitur alterum*, v.g. non eſt nox, ergo eſt dies. Pro *Contradictoriis complexis, ſi unum contradictorium eſt verum, alterum eſt falſum*, v. gr. falſum eſt me legere, ergo verum eſt me non legere. Alia ſunt oppoſita *Diſparata*, quæ ad invicem non poſſunt verificari, ut *homo*, & *lapis*. Ab his ſic poteſt argui, eſt homo, ergo non eſt lapis: ſed non poſſet argui ab inferente negativo, v.g. non eſt homo, ergo eſt lapis, nam poſſet eſſe quodcunque aliud.

2. Pro *loco à majori ad minus* ſunt iſtæ: *Si quod magis videtur ineſſe, non ineſt, neque quod minùs videtur ineſſe, inerit*, ver. gr. homo robuſtus non poteſt ferre decem, ergo neque adoleſcens debilis poteſt ferre centum.

3. A *minori ad majus* eſt, *ſi quod minùs videtur ineſſe, ineſt, ergo quod magis videtur ineſſe, inerit*, v. gr. Miles poteſt debellare civitatem, ergo & Rex poterit.

4. & 5. *à ſimili, & à proportione*, & hæc, de *ſimilibus*, & *proportionalibus eſt idem judicium*, v. g. ſicut ſe habet Rex in Regno, ita & ſuperior in Religione, ſed Rex debet eſſe prudens, ergo & Superior.

6. Locus *à tranſumptione* eſt, cùm per nomen magis notum declaratur minùs notum, ver. gr. amator ſapientiæ declarat, quid ſignificet nomen iſtud, *Philoſophus*, & iſte locus habet eaſdem Maximas, quas

locus

locus ab interpretatione, v. gr. *quidquid alicui convenit, vel diſconvenit ſub nomine noto, convenit, vel diſconvenit illi ſub nomine minùs noto*, v. gr. amans ſapientiæ, ſeu ſapiens ſtudet, ergo & Philoſophus ſtudet.

7. Locus *ab authoritate* eſt, *à judicio ſapientum in propria ſcientia*, & habet hanc Maximam, *cuicunque experto credendum eſt in ſua ſcientia*, & quidem, *quò magis expertus eſt, eò minùs poteſt falli*, & ideò majorem inducet probabilitatem aſſertioni ſuæ. Loquimur autem hic de authoritate humana, nam authoritas divina non facit probabilitatem, ſed omnimodam certitudinem, & pertinet ad Theologiam, & fidem.

8. Locus *Medius* eſt, quando ſumuntur argumenta, quæ partim conveniunt, & partim differunt à terminis in quæſtione poſitis, id eſt, quando terminus inferens, & illatus partim conveniunt, ver. gr. conveniunt in principali ſignificato, & differunt in modo ſignificandi, ut *album*, & *albedo*, *juſtum*, & *juſtitia*. *Album* enim, & *albedo* ſignificant eandem formam, quæ eſt principale ſignificatum utriuſque, ſed differunt in modo, nam album ſignificat illam formam, ut afficientem ſubjectum, v. g. parietem, & albedo ſignificat eandem, ut abſtrahentem ab illo. Et hic locus eſt triplex. 1. à *Conjugatis*, qualia ſunt *denominans*, & *denominatum*, *concretum*, & *abſtractum*, ut *juſtum*, & *juſtitia*, dicuntur conjugata, quaſi ſub unius ſignificationis jugo poſita. Et hic locus eſt *habitudo unius conjugatorum ad aliud*, & habet hanc Maximam, *quidquid prædicatur de uno conjugatorum, prædicatur de alio*, ut album eſt gratum, ergo & albedo. 2. à *Caſibus*, & eſt habitudo unius caſuum ad alium: & ferè coincidit cum præcedenti. Nam caſus ſunt nomina, aut verba, aut adverbia ab uno derivantia, ut *bonum*, & *benè*, à *bonitate*, *ſapiens*, & *ſapienter*, & *ſapientia*, à *ſapio*. Et habet hanc Maximam, *quod uni caſuum convenit, vel diſconvenit, convenit, vel diſconvenit alteri*, v. gr. juſtum eſt bonum, ergo juſtè agere eſt benè agere. 3. à *Diviſione*, & eſt habitudo unius membrorum dividentium ad alterum, & habet hanc Maximam, *poſito uno membrorum dividentium in aliquo ſubjecto*,

ſto, removetur alterum, v. gr. animalium aliud eſt rationale, aliud irrationale, ſed homo non eſt animal irrationale, ergo eſt rationale.

§. VI.

De ſyllogiſmo ſophiſtico, ſeu fallaci, aut falſigrapho, & fallaciis.

DE Sophiſmate hìc agimus, non ut artem fallendi doceamus, ſed ut cautos reddamus tyrones, ne decipiantur à Sophiſtis, & diſcant eorum inſidias, & captiones vitare. Nequit enim vitari malum, niſi agnoſcatur. Et ideò dicebat noſter Ocham, quòd ſine fallaciarum notitia, nemo verè Philoſophus, aut Theologus, aut Juriſta. Diximus ergo ſyllogiſmum *Sophiſticum* eum eſſe, qui apparet bonus ſyllogiſmus, & non eſt. Peccare autem poteſt ſyllogiſmus vel in materia, quando ſcilicet altera præmiſſarum eſt falſa, vel in forma, quando non eſt in figura, & modo, vel in utroque, quando nec materia vera eſt, nec figura, nec modus ſervatur.

Fallaciæ nomine nihil aliud hìc intelligimus, quàm deceptionem in argumento, quæ ſpecie veri ſolet illudere auditori. Et duplex eſt, *fallacia in dictione*, & *extra dictionem*. Prior illa eſt, quæ ſumit apparentiam veri, & fomitem deceptionis ex parte vocis potiùs, quàm ex parte rei, ut *Canis*, qui ſignificat animal latrabile, piſcem marinum, & ſydus. Poſterior verò illa eſt, quæ ſumit apparentiam, & cauſam decipiendi ex parte rei ſignificatæ potiùs, quàm ex voce.

Fallaciæ in Dictione ſunt ſex.

1. *Æquivocatio*, & provenit ex voce æquivoca, & æquivocè ſumpta, quia ſcil. in una propoſitione ſumitur in uno ſignificato, & in alia in alio, v. g. *qui ridet, habet dentes, ſed prata rident, ergo habent dentes*. Vides, quòd *ridere* in majori ſumitur propriè, & in minori ſumitur metaphoricè.

2. *Amphibologia*, ſignificat dubiam ſententiam, ſeu locutionem, & eſt *multiplicitas unius, & ejuſdem orationis ſecundùm materiam, & formam diverſa ſignificantis*. Differt à præcedenti, ut vides, quia illa

fal-

fallit tantùm in una voce, hæc in tota phraſi, v. gr. *qui ſublimè volat, habet alas, ſed qui de rebus ſublimibus loquitur, ſublimè volat, ergo is habet alas*. Vides ſublimitatem volatus in majori ſignificare elationem per aera, & in minori elationem ingenii, & linguæ in ſcientiis.

3. Fallacia *Compoſitionis*, & *Diviſionis* eſt, cùm ea diſtinguuntur, quæ conjungi oporteret, & ea conjunguntur, quæ disjungi deberent. Et committitur hæc fallacia, cùm à *ſenſu diviſo vero proceditur ad ſenſum compoſitum falſum*, v.g. *juſtus poteſt damnari, ſed nemo poteſt damnari, niſi ſit peccator, ergo homo poteſt eſſe ſimul juſtus, & peccator*. Vides majorem eſſe veram *in ſenſu diviſo*, & inde inferri conſequens *in ſenſu compoſito*, in quo eſt falſum.

4. Fallacia *Diviſionis* committitur, quando à *ſenſu compoſito vero proceditur ad ſenſum diviſum*, v.gr. *impoſſibile eſt eundem ſimul ſtare, & ſedere, ergo qui ſedet, ſtare non poteſt*. Conſequens eſt falſum in ſenſu diviſo.

5. Fallacia *Accentus* eſt, cùm propter accentuum diverſitatem committitur æquivocatio, vel ambiguitas, v. gr. *omnis populus eſt arbor, ſed omnis gens eſt populus, ergo omnis gens eſt arbor*. In majori *populus* ſignificans arborem habet primam ſyllabam longam, & in minori habet brevem, & ſignificat nationem.

6. Fallacia *figuræ dictionis* eſt deceptio proveniens ex ſimilitudine duarum vocum, ſeu dictionum in parte non ſignificantium idem, v.gr. *Poeta*, & *Muſa*, ut ſi diceres, *qualis eſt Muſa, talis eſt Poeta, ſed Muſa eſt fæminini generis, ergo & Poeta*, ſcilicet ex eo, quòd Muſa, & Poeta ſimiliter terminentur, & Poetæ Muſam ſectentur, infertur, quòd ſit ejuſdem generis cum Muſa, ut ſi diceres, *homo eſt animal, ſed animal eſt triſſyllabum, ergo homo eſt triſſyllabum*. Vides ludi in dictione animalis, quod in majori ſumitur perſonaliter, & in minori materialiter pro voce triſſyllaba.

Fallaciæ extra dictionem ſunt ſeptem.

1. Fallacia *Accidentis*, & fit, quoties aliqua non rectè junguntur, vel dividuntur (nec enim hìc nomen accidentis ſumitur in rigore pro eo, quod poteſt

adeſſe, aut abeſſe à ſubjecto ſine ejus corruptione) v.gr. *animal eſt quadrupes, ſed homo eſt animal, ergo homo eſt quadrupes*, eò quòd conveniat animali, & quidem non omni, ſed tantùm aliquibus, ergo fallacia eſt ex eo, quòd in majori, *quadrupes*, & *animal* non rectè jungantur. Similiter ſi diceres, *hic homo eſt magnus, ſed eſt etiam muſicus, ergo eſt magnus muſicus*, in conſequentia *Magnus*, & *Muſicus* non rectè junguntur. Dici enim deberet, *ergo eſt magnus, & etiam muſicus*. Nam magnitudo non caderet in *muſicum*, ſed tantùm in hunc hominem.

2. *A dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter*. Jam diximus aliquid dici *ſimpliciter*, cùm vox ſumitur *abſolutè*, & *ſecundùm quid*, quando ſumitur cum reſtrictione, v.g. *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes, ergo eſt albus*: ſcilicet abſolutè, & hoc eſt falſum, *ſic imago Petri eſt homo pictus, ergo imago eſt homo*, abſolutè eſt falſum.

3. *Ignorationis Elenchi*. Elenchus eſt ſyllogiſmus contradictorius unius, & ejuſdem nominis, & rei ſimul, ſeu *concludens concluſionem contradictoriam reſponſionis datæ à reſpondente ejuſdem ſubjecti, & prædicati ſecundùm idem nomen, & idem ſignificatum*. Et fallacia conſiſtit in hoc, quòd arguens velit oſtendere ibi eſſe veram contradictionem, cùm revera non ſit, v.g. *duo ſunt duplum unius, & non ſunt duplum trium, ergo duo ſunt duplum, & non duplum*, falſum conſequens. Non enim vera eſt contradictio, ſunt duplum reſpectu duorum, & non ſunt duplum reſpectu trium, contradictio autem debet eſſe affirmatio, & negatio de eodem reſpectu ejuſdem in iiſdem circumſtantiis.

4. Fallacia *Petitionis principii* eſt, cùm idem probatur per idem, aut cùm ad probationem ignoti ſumitur medium æquè ignotum, aut ad probationem rei controverſæ ſumitur medium æquè controverſum. Qui ſic argumentatur, dicitur petere principium. Ver. grat. ut probes hominem eſſe oculatum, dicis, *omnis, qui habet oculos, eſt oculatus, ſed homo habet oculos, ergo eſt oculatus*, vides idem probari per ſe ipſum ſub terminis pauliſper diverſis. Nam idem eſt *habere oculos, & eſſe oculatum*: qui unum negaret tam liberè, negaret alterum.

5. Fal-

5. Fallacia *conſequentis* eſt, cùm ex conſequente infertur antecedens, ut, *ſi eſt animal, homo eſt*, illa particula, *ſi*, denotat illationem, ſeu conſequentiam unius ex alio, quæ conſequentia falſa, ſeu mala eſt, nam poteſt eſſe *animal*, & non eſſe *homo*, ſed *leo*, *lupus*, &c. Committitur etiam, cùm ex oppoſito antecedentis infertur oppoſitum conſequentis, v. gr. *ſi homo eſt, animal eſt, ſed homo non eſt, ergo animal non eſt*. Vides hanc conſequentiam eſſe falſam, quia à negatione inferioris in minori, qui eſt *homo*, proceditur ad negationem *animalis* in conſequentia, quod eſt ſuperius.

6. Fallacia *non cauſæ, ut cauſæ*, ſeu *à non cauſâ, ut cauſa*, eſt, cùm aliquid ſumitur pro cauſa alicujus effectus, cujus verè non eſt cauſa, ut ſi dicas, *vinum cauſat ebrietatem, ſed ebrietas eſt mala, ergo vinum malum eſt*. Vides, quòd *vinum* ponitur cauſa ebrietatis, & non eſt, ſaltem proximè, ſed intemperantia, & exceſſus potationis.

7. Denique fallacia *plurium interrogationum, ut unius*, eſt, cùm ad plures interrogationes petitur una reſponſio, ut ſi quæras, *an cœlum, & intelligentia motrix vivant*, velſque, reſpondeam unica reſponſione per affirmationem, ver. grat. *vivunt*, aut per negationem, *non vivunt*, ſi primum dicam, cœli vivent, ſi ſecundum, Angelus non vivet. Hæc de fallaciis pluſquam ſatis. Sunt quidem neceſſariæ ad intelligendos veteres tàm Theologos, quàm Philoſophos, qui in ſolutionibus argumentorum contenti ſunt ſæpè dicere, quòd in argumento eſt fallacia *petitionis principii*, ver. grat. aut *conſequentis*, &c. nihil aliud addentes: quapropter qui has fallacias penitus ignoraret, non perciperet reſponſiones. Recentiores autem communiter reſpondent, diſtinguendo propoſitiones, in quibus eſt falſitas, & explicant defectus.

PROLUSIO X.

De inventione medii.

MEdii ad argumentandum inveniendi methodum tradit Ariſtoteles, [1] quæ à Dialecticis vocari ſolet *pons aſinorum*, quia ſicut pons attingit utranque partem ripę, ita medium conjungit utrunque extremum propoſitionis, quæ probanda eſt, & dicitur *aſinorum*, vel quia traditur hæc methodus pro imbecillioribus ingeniis, quæ indigent arte ad excogitanda media, & ſine illa hærent muta, ſicut *aſini ad ripas* fluviorum immoti, niſi adſint pontes, qui verò ſolertioris ſunt ingenii, facilè reperiunt rationes, quibus probent quæcunque aſſerta ſua, cùm negantur.

Probaturus igitur aliquam propoſitionem, perpende primò, quid ſit id, de quo agitur. 2. perpende, ac perſcrutare illius definitionem, proprietates, conſequentias, antecedentia, repugnantia, cauſas, effectus, &c. 3. diſtingue *eſſentialia*, *propria*, *vera*, *probabilia*, *accidentia*, &c. 4. ex his ſelige *antecedentia*, & *conſequentia.*

Antecedens hìc vocamus id, de quo aliud dicitur, *Conſequens* verò id, quod de alio dicitur. Sic *animal* dicitur *antecedens* ad *vivens*, & *conſequens* ad *hominem*, nam dicimus, *animal eſt vivens*, & *homo eſt animal*, & ſic omnia ſuperiora, ſeu univerſaliora ſunt *conſequentia* reſpectu inferiorum, ſeu minùs univerſalium, quæ dicuntur antecedentia, quia ex his inferuntur ſuperiora. Verbi grat. dicimus, *eſt homo*, *ergo eſt animal*, non verò *eſt animal*, *ergo eſt homo*.

Adverte etiam, *repugnantia*. Repugnans autem dicitur illud, quod alteri non poteſt ineſſe.

His poſitis, ſi concludere velis affirmativè, quæres medium, quod ſit utrique extremo, ſeu ſubjecto, & prædicato commune, & illud ſi poſſit eſſe *conſequens* ad ſubjectum, & *antecedens* ad prædicatum, erit optimum pro ſyllogiſmo in prima figura, ſi verò ſit *antecedens* ad utrunque, inſerviet pro

[1] 1. *Prior. cap.* 27.

pro tertia figura. Si verò concludere velis negativè, quæres medium, quod ſit conſequens ad unum extremorum, & repugnans alteri, & tunc formabis ſyllogiſmos univerſales, vel ſingulares in diverſis figuris, prout natura medii exiget diverſum ordinem præmiſſarum. Ver.gr. ſi medium ſit repugnans prædicato, & antecedens ad ſubjectum, argumenta fient in *Bocardo*, *Felapton*, *Feriſon*.

Do Exempla. Vis concludere, quòd *omnis homo eſt ſubſtantia*, ſume pro medio *animal*, quod eſt conſequens ad hominem, & antecedens ad ſubſtantiam, & conficies argumentum in *Barbara*, dicens, *omne animal eſt ſubſtantia, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia*. Si vis probare, quòd *nullus homo eſt lapis*, ſume pro medio idem animal, quod repugnat lapidi, & conſequens eſt homini, ſeu ſubjecto, & conficies ſyllogiſmum in *Celarent*, ſic, *nullum animal eſt lapis, ſed omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis*. Si vis probare, quòd aliquis homo eſt vivens, ſume medium, quod ſit conſequens ad ſubjectum, & antecedens ad prædicatum, verbi gratia ſenſibile, & conficies ſyllogiſmum in *Darii*, hoc modo, *omne ſenſibile eſt vivens, ſed aliquis homo eſt ſenſibilis, ergo aliquis homo eſt vivens*, & ſic de cæteris. Quod ut faciliùs, & perfectiùs præſtes, accipe has regulas ab eodem Philoſopho.

1. Regula eſt, ut non diſputes de iis, quæ minùs nota ſunt omnibus, aut quæ ſunt evidentiſſimè falſa. Unde dicebat, *quòd qui ambigunt, utrùm oporteat Deum colere, & parentes diligere, necne, pœna, qui verò, ſitne alba nix, aut non, ſenſu indigent*.

2. Ut vitetur omnis æquivocatio, vel homonymia, qua multa voce una ſignificantur, hinc enim oritur magna in ſcientiis ambiguitas.

3. Seligi debent propoſitiones probabiles, & à multis receptæ, & ſingularum artium propriæ, & generales, omni exceptione majores.

4. In loquendo utendum terminis uſitatis, claris, & propriis, non ſingularibus, & peregrinis, quia à paucis capiuntur. Sentiendum verò de rebus cum doctis, & ſapientibus.

5. Inter diſputandum vitanda ſemper digreſſio,&, ſi falſum, vel ineptum quid, aut non pertinens ad rem proponatur, reſpondendum *tranſeat*, & interim negetur concluſio.

6. Concluſio debet colligi nudè, & ſimpliciter tanquam neceſſariò conſequens, & non per interrogationem, vel aliter.

Cætera repetenda ſunt ex dictis ſupra de locis topicis.

PROLUSIO XI.

De Methodo.

QUia Methodus facem, & lucem multam præfert ad ſcientias penetrandas, pauca etiam de ea hoc in veſtibulo Philoſophiæ ſunt prælibanda. De illa enim dicitur communiter, quòd ſit perſpicuitatis parens, & memoriæ auxiliatrix, & plurimùm juvat, ut in omnibus procedatur rectè, & ordinatè.

Eſt ergo Methodus *apta collocatio, ſeu diſpoſitio partium ſcientiæ, ut, quoad fieri poſſit, optimè, ac facillimè diſcantur, quæ in ſcientiis traduntur*. Et hæc duplex eſt, ſcilicet *Diſpoſitionis*, & *Inventionis*. Hæc nihil aliud eſſe mihi videtur, quàm regula quædam excogitandis argumentis aptiſſima: illa verò, ſcilicet *Diſpoſitionis*, eſt rerum coordinatio, quæ in aliqua ſcientia traduntur, ita ut, quæ præcedere debent, præcedant, & poſteriora ſubſequantur, eo ordine, quo ſunt accõmodatiora diſcipulorum captui.

Rurſus Methodus *Diſpoſitionis* alia eſt *Naturæ*, quæ ſcilicet ſequitur ordinem naturalem rerum, quatenus illa priùs tractatur, quæ in ordine eſſendi eſt prior. Alia *Perfectionis*, quæ ordinem reſpicit dignitatis rerum, locumque illis aſſignat ſecundùm dignitatem. Alia *Doctrinæ*, ſeu *Cognitionis*, quæ præmittit illa, quæ ſunt intellectu faciliora, & ad ſubſequentium intelligentiam magis deſerviunt, v.g. ſi priùs explicetur nomen rei, ejuſque variæ acceptiones, deinde agatur de illius exiſtentia, ſeu *an ſit*, tum de eſſentia, ſeu *quid ſit*, poſtea de illius qualitatibus, & affectionibus, ſeu *qualis ſit*.

Item alia dicitur *Compoſitionis*, alia *Reſolutionis*: prior

prior eſt illa, qua à ſimplicioribus ad magis compoſita, à principiis, à cauſis, & partibus ad totum, & à mediis ad finem progredimur. Verbi gratia in hac introductione Logica, primò de terminis egimus, tum de propoſitione; tum de ſyllogiſmo. Poſterior verò, ſcilicet Methodus *Reſolutionis* contrariam tenet viam. Nam à toto ad partes, à principiato ad principia, à fine ad media progreditur, ut qui Logicam tractationem à demonſtratione inchoaret, tum ad propoſitiones, denique ad terminos deſcenderet. Priorem Methodum approbat Ariſtoteles in ſpeculativis, quia in iſtis principia ſunt notiora, ut dicebamus de Logica, & ideò tradens Phyſicam, agit primò de materia, & forma, tum de compoſito: at in practicis finis eſt notior mediis, ideò in Morali incipit tractare de fine, ſcil. de beatitudine, tum progreditur ad mediorum examen.

Aliqui addunt Methodum *Definitivam*, & *Diviſivam*. Prima eſt, quæ definit primùm ſcientiam per objectum, & partes ejus, tum ea, quæ ponuntur in definitione, per partes explicat, & ob id etiam *Diviſiva* dicitur. Hæ parum, aut nihil differunt à compoſitiva, & reſolutiva, aut ſaltem ad illas facilè revocari poſſunt.

Hæ autem regulæ ſervari debent in tradendis ſcientiis juxta bonam methodum. Primò à notioribus ad ignota progrediendum eſt. Hic enim ordo videtur & facilior, & naturalior.

2. Ab univerſalibus, & communioribus ad particularia deſcendendum, quia illa videntur notiora.

3. A partibus ad totum, à cauſis ad effectus, à ſimplicibus ad compoſita, ut jam inſinuatum eſt.

4. Quando de aliqua re agitur, primò quærendum, quid ſit, ſaltem quoad nomen, ut etiam diximus, ſecundò an ſit, tertiò qualis ſit, quartò cur, ſeu ad quid ſit, quintò de proprietatibus diſſerendum eſt. Si verò agatur de pluribus, quæ habeant aliquã inter ſe connexionem, vel ordinem, ſervandus ordo dignitatis, & incipiendum à perfectioribus, aut ſaltem ab his, quæ cognitu ſunt faciliora.

5. Si refellendæ ſunt aliorum opiniones, primò

exponuntur eorum ſententiæ, tum eorum fundamenta, ut refutentur, tum propria ſtatuitur mens, & probatur authoritate, & ratione. Licebit tamen etiam primò propriam ſtatuere opinionem. Id ſatis arbitrarium eſt.

6. Cavendum à longis digreſſionibus, & minutis rerum diviſionibus. His enim diſcentium ingenia potiùs obturbantur, & opprimuntur, quàm juventur.

7. Cavendum etiam à dubiis quæſtionibus, capitibus, & ſectionibus longioribus, ne fatigentur, & obruantur ingenia, ſic, ut cùm ad finem perventum erit, non recordentur principii: potiùs ſecandæ quæſtiones, & capita in ſectiones, paragraphos, aut quæſita breviora, ut ſic faciliùs retineantur omnia. Reliqua docebit praxis.

PROLUSIO XII.

Leges diſputationis philoſophicæ.

DIſputatio philoſophica inter duos fieri ſolet, quorum unus argumēnta proponit, alter reſpondet, & reſolvit. Ideò munus eorum diverſum eſt. Porrò harum diſputationum utilitas eſt maxima; nam in eis exercentur ingenia, & ex mutua agitatione veritatem intimiùs penetrant, & ad philoſophandum promptiores evadunt.

Partes arguentis ſunt iſtæ. Primò vel interrogare de re aliqua, quæ ſit ad propoſitum, ut ex reſponſione eliciat occaſionem diſputandi, vel ſtatim impugnare aliquam ab ipſo propoſitam concluſionem, ſeu theſim. Si per interrogationem aggrediatur, videat, ne nimis apertè repugnet adverſarii ſententiæ. Si enim id ille præſenſerit, ſtudebit eludere difficultatem. Audita verò reſponſione, aut aſſumpta theſi, quam impugnandam ſuſcipit, proponet argumentum in ſyllogiſmo, vel enthymemate, idque breviter, & perſpicuè.

2. Expectabit, donec reſpondens repetierit argumentum, & reſponderit, nec ante reſponſionem illum interpellabit. Ab enthymemate conſultiùs inchoabit, tum quia clarius, tum quia minùs manife-

ſtat

ſtat vim latentis illationis, & quaſi ſuſpenſum reddit reſpondentem, & attonitum, nec multum temporis illi dat reſpondendi. Caveat incipere à contradictoria theſis, ut ſolent rudiores. Ver.gr. ut impugnes hanc theſim, *Logica eſt ſcientia*, ſi diceres, *Logica non eſt ſcientia, ergo falſa theſis*, hoc eſt petere principium & puerile, ac ludicrum. Attingat, quantum poterit, difficultatem per aptum medium, quod facilè non mutet, ſed in difficultate propoſita perſeveret, quandiu ſuppetent illi rationes. At ſi reſpondens plenè ſolverit argumentum, ſatius eſt, ut quieſcat, aut aliud medium ſumat, quàm ſi pertinax ſteterit contra veritatem apertam. Probet autem directè propoſitionem, quæ negata fuerit, aut reſumat, & impugnet diſtinctionem, ſi per diſtinctionem fuerit reſponſum. Licebit quandoque petere à reſpondente rationem negati, ac ſenſum theſis, ne in vanum pugnent. Caveat denique à clamoribus, & vanis cõtentionibus, durioribuſque verbis. Caveat etiam, ne ad alia digrediatur, nec permittat elabi difficultatem, quam tenet præ manibus, ut ajunt.

Partes Reſpondentis ſunt, primò perhonorificè excipere arguentem, 2. reſpondere clarè, & breviter ad interrogationem, ſi adſit, vel repetere fideliter argumenta, & quidem de verbo ad verbum, quantum fieri poterit, quod ut faciliùs præſtet, dum prima vice repetit integrum argumentum, attendat ad medium, & non curet adhuc de ſolutione, donec repetat ſecunda vice, tunc verò ad ſingulas propoſitiones reſpondebit, quod videbitur reſpondendum. Tertiò, repetita majori, vel antecedente, dicet *concedo*, vel *nego*, vel *diſtinguo* majorem, aut antecedens, ſimiliter ad minorem: conſequentiam autem nunquam negabit, ſi conceſſerit majorem, aut minorem, &, ſi argumentum eſt in forma, vel ſi neget, tunc tenetur oſtendere, in quo peccet forma argumenti, ſi petierit arguens.

4. Aliquando etiam poteſt regerere argumentũ in adverſarium, ut ſi quis arguat, *non eſſe ſtudendum, quia ſtudio maceratur corpus*, regerere potes, aut dicendo, *imò ſtudendum eſt, quia ſtudio maceratur corpus, ne laſciviat*, aut retorquendo argumentum hoc modo, *per te non eſt agendum id, quo maceratur*

corpus, at orando, aut laborando maceratur corpus, ergo non eſt orandum, vel laborandum. In his etiam caſibus dicitur arguenti, quòd argumentum nimis probat, & ideò nihil.

5. Denique debet eſſe arguens, ut leo, reſpondens, ut agnus, & cavendum, ne immodeſtis clamoribus, aut verbis injurioſis ſe ſe impetant, quod ſine ira, vel rubore non poſſet audiri. Nihil ſiquidem clamoſa, & petulanti diſputatione odioſius, ſicut nec quidquam jucundius, vel utilius, quàm cùm res argumentis, & rationibus modeſtè diſcutitur, & diſputatur. Cætera docebit exercitatio, & praxis, Deo dante, cui ſit honor, & gloria.

Finis Elementorum Philoſophiæ.

PHI-

PHILOSOPHIÆ SCOTISTICÆ

PARS PRIMA.

LOGICA.

PHILOSOPHIAM auſpicamur à Logica, quæ omnium ſcientiarum Janua,& Princeps. In ejus gremio diſciplinæ omnes veluti Diſcipulæ hoſpitantur, & errores ſuos, velut adulterinos fœtus, ibi deponunt, ut erudiantur ad virtutem,neq; priùs glorientur ſcientiæ nomine, quàm apud eam ſcientiam profecerint. Agnoſcunt eam Philoſophi, ut oculum mentis, rationis Cynoſuram, manum Philoſophiæ, & Januam ſcientiarum, qua aperta, apertus eſt ad illas aditus, & qua clauſa, ad eaſdem inacceſſus eſt acceſſus. Verùm quia, docente Joanne, Verbum non eſt, niſi *apud Deum*, & ipſe *Deus Verbum eſt*, æterna Patris Logica, Chriſtum Dei filium dico, in quo *noviſſimè nobis loquutus eſt, per quem fecit & ſæcula*, propitium illum nobis reddamus, ſine quo *factum eſt nihil*, & *per quem omnia facta ſunt*.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura, & exiſtentia Logicæ.

ANtequam res, de quibus tractat Logica, diſcutiamus, naturam, & exiſtentiam ejus examinamus, aliquot quæſtionibus, quas Proluſorias, ſeu Prolegomenas vocant, ubi de illius nomine, exiſtentia, quidditate, dignitate, fine, objecto, & proprietatibus breviter agemus.

QUÆSTIO PRIMA.

De nominibus Logicæ.

UT convenientiùs acquiramus exiſtentiam, appellationes præmittimus. Nec enim facile eſt de illius exiſtentia convenire, & ſcientificè loqui, niſi priùs de nomine conſtiterit.

Multis nominibus ſcientia hæc inſignitur, ex quibus naturam ejus, & dignitatem colligere licet. Alii *Examen* vocant, alii *Formatricem ſapientiæ: Regulam, & Menſuram artium: Clypeum diſciplinarum: mundi rationalis*, id eſt, *humanæ mentis Solem: rationis oculum: Scientiam ordinis: Clavim auream: Apicem, & Scientiam ſcientiarum*. Clemens Alexandrinus *Vallum* appellat, *Murumque veritatis*: Tullius *Scientiam veri, & falſi diſceptatricem, nec non judicatricem*. S. Auguſt. *diſciplinarum* vocat *Diſciplinam*. *Hæc*, inquit, *docet docere, docet diſcere. In hac Ratio ſeipſam demonſtrat, atque aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat ſcire. Sola ſcientes facere non ſolùm vult, ſed etiam poteſt*.

Logica, & *Dialectica* ſunt magis propria ejus nomina. Et ideò eorum notiones hic explicamus. *Dialectica* ſignificat artem, ſeu ſcientiam diſputandi juxta analogiam vocis. Venit enim à verbo græco *Dialegeſthe*, quod ſignificat, *ſermone, ratione uti*, ſeu *dicere*. Ideò ſecundùm vocis derivationem, *Logica*, ſeu *Dialectica*, dici poteſt *Scientia rationalis*, ſeu *ſermocinalis, diſcurſiva*, diſcernens verum à falſo.

Plato [1] *Dialectices nomine* intellexit eam animi peritiam, qua interiùs cogitando, & ſecum colloquendo mens tandem abſtractas rerum rationes percipit, ex ipſis, & per ipſas in Dei notitiam progreſſura.

Ariſtoteles *Dialecticam* dixit eam partem Logices, quæ de quolibet probabiliter diſputat, ut jam vidimus in Elementis, quam etiam vocavit *Topicã*, quia locos, unde argumenta eruantur ad fidem faciendam idonea, accumulat; *Logicam* verò ſumit pro integra diſſerendi ſcientia, quæ tres habet partes, *Demonſtrativam*, ſeu *analyticam, Dialecticam*, & *ſo-*

[1] *De repub. L.7.*

& *ſophiſticam*. Prima Syllogiſmis neceſſariis, atque evidentibus rem propoſitam perſuadet. 2. ultrò, citròque rem verſat, quidquid in quolibet probabilitatis ineſt, eliciens. 3. denique fallacibus argutiis, id, quod falſum eſt, probabile conatur oſtendere. Nos nomine *Logices* hìc intelligimus *ſcientiam benè definiendi, dividendi, & argumentandi*. Unde *modus ſciendi* ab aliis dicitur, *organum ſcientiæ* ab aliis. Sed de nomine ſatis.

QUÆSTIO II.

An ſit Logica, quid ſit, & quotuplex.

Logica alia eſt *naturalis*, alia *artificialis*. *Naturalis* eſt ipſũ naturale rationis lumen omnibus hominibus innatum, quo ſine ullis pręceptis ratiocinari poſsũt, ſeu diſcurrere. *Artificialis* verò eſt habitus huic lumini ſuperadditus, quo intellectus eruditur ad prōptè, & rectè diſcurrendum, & ne erret in ſuis operationibus. *Rurſus* Logica artificialis dividitur in *univerſalem*, & *particularem*. Prima eſt, quæ tradit regulas omnibus ſcientiis communes, v.g. quòd Demonſtratio debeat conſtare propoſitionibus neceſsariis, quòd Definitio fiat per eſsentialia, &c. 2. verò, quæ tradit præcepta applicata materiæ particularis alicujus ſcientiæ, v.g. quòd Definitio in Metaphyſica fiat per genus, & differentiam, in Phyſica verò per materiam, & formam.

3. Artificialis dividitur in *Docentem*, & *Utentem*. Prior, quæ dicitur à Græcis *Avulſa à rebus*, eſt, quæ tradit regulas benè diſſerendi, ſeu rectè definiendi, & dividendi, & argumentandi, poſterior, quæ ab iiſdem Græcis dicitur *Concreta*, eſt habitus utendi talibus regulis benè definiendo, dividendo, & argumentando. His poſitis ſit

CONCLUSIO I.

Datur *Logica naturalis, & artificialis*. Eſt communis.

Prob. 1. pars. Nullus n. eſt homo, ſi amentem ſe non velit fateri, qui non habeat lumen illud innatum, quo abſque regulis, vel præceptis diſcurrit, & unum ex alio infert. Nec in hoc eſt immorandum.

Pr. 2. pars. Contra Stoicos, & Epicureos, qui vidē-

tur

tur negaſſe exiſtentiam, imò & poſſibilitatem Logicæ artificialis diſtinctæ à naturali. 1. Omnis potentia, quæ eſt imperfecta, & poteſt deviare in ſuis actibus, indiget, & habere poteſt habitum, ſeu artem, qua perficiatur, & dirigatur ad actus rectos promptiùs, & perfectiùs eliciendos, ſed Logica naturalis in homine talis eſt, & Logica artificialis ea eſt, quæ debet dirigere actus illos, ut rectè fiant, ergo datur Logica artificialis. Major patet, quia omne imperfectum dicit relationē ad ſuum perfectivum. Natura enim intendit effectus ſuos producere cum omni debita perfectione, & inclinat ad quærendum id, quod illi deeſt, & quod illi ad hoc neceſſarium eſt, & niſi poſſet illis defectibus ſubveniri, natura, aut providentia diceretur nobis defuiſſe in maximè neceſſariis. Minor habet duas partes, prima patet quotidiana experientia defectuum, quos committimus in diſcurrendo propter ignorantiam regularum boni diſcurſus. 2. etiam negari non poſſet; quia certum eſt, Logicam artificialem ad hoc eſſe inventam, ſc. ad dirigēdos actus intellectus, ut rectè diſcurrat, ergo &c.

Prob. 2. experientia, qua conſtat tot regulas à Philoſophis excogitatas eſſe ad benè definiendum, dividendum, & argumentandum: ſed in his ponimus Logicam artificialem, ergo datur.

Objicies 1. contra hanc partem. Sufficit Logica naturalis ad rectè diſcurrendum, ergo artificicialis eſt ſuperflua. Prob. anteced. Omnis potentia vitalis habet à natura, quicquid illi eſt neceſſarium, & quod ſufficit, ut poſſit producere actus proprios, ſed intellectus eſt potentia naturalis, ergo ſufficit illi Logica, quam habet à natura ad rectè diſcurrendum. Prob. major. Natura non deeſt in neceſſariis, ergo &c.

Reſp. neg. antec. & diſt. majorem. Potentia naturalis determinata ad ſuū objectum, & quæ non poteſt deviare, habet in actu primo omne neceſſarium, conc. majorem; potentia indifferens, & quæ de ſe poteſt aberrare à recto, habet omne neceſſarium in actu ſecundo, nego ant. Et ſimiliter diſt. minorem. Intellectus eſt potentia naturalis, ſed indifferens, & indeterminata ad bene, aut non benè operandum circa objectum ſuum, conc. minorem, eſt potentia naturalis determinata ad operandum rectè circa objectum ſuū,

ita

ita, ut non poſſit deviare, nego min. & conſeq. Nam intellectus non eſt ſic determinatus in ſuis actibus circa objecta ſua, ut non poſſit in illis aberrare, imò ſæpiùs aberrat, & malè diſcurrit, ut patet quotidiana experientia. Non ita eſt de ſenſibus, ac potentiis exterioribus, quæ non errant in actibus ſuis, quia determinantur à ſuis objectis ſecundùm quod illis externè repræſentantur. At intellectus non ſiſtit in externis apparentiis rerum, vult penetrare eſſentias rerum, & ex apparentiis colligit, & infert cognitiones de his, quæ non apparent: & in illis illationibus poteſt errare, niſi per certas regulas dirigatur.

Objicies 2. Natura eſt certior arte, ergo ſufficit Logica naturalis, & ſuperflua eſt artificialis, quandoquidem hæc eſt minùs certa.

Reſp. diſting. antecedens. Natura eſt certior in his, quæ ſunt determinata ad unum agendi modū, conc. antec. in his, quæ ſunt indifferentia ad plures agendi modos, ſeu ad benè, aut malè agendum, nego antec. & conſequens. Talis eſt autem intellectus.

CONCLUSIO II.

L*Ogica ſufficienter deſcribitur, ſcientia rationalis, ſeu ratiocinandi*. [1] Ita Scotus, Scotiſtæ, & alii. Prob. quia diſtinctè explicat naturam Logicæ ut ſic per verum genus, & differentiam, ergo ſufficiens eſt. Prob. antec. Scientia tenet locum generis, & per id convenit cum aliis partibus Philoſophiæ, & ſcientiis. *Rationalis* eſt differentia, per quam diſtinguitur ab aliis ſcientiis, quę ſunt reales, ut docet Scotus. [2] Nam verſatur circa ſyllogiſmum, & alios actus intellectus, qui ſunt opera rationis. Dixi autem *ſufficienter ſic deſcribi*, quia poſſet clariùs deſcribi, *ſcientia, quæ tradit regulas perfectè argumentandi*, quia in his tota eſt Logica; hic unicus ejus finis eſt.

CONCLUSIO III.

L*Ogica docens, & utens, quoad habitum non diſtinguuntur realiter, ſed formaliter*. Ita Scotiſtæ pro majori parte. Dixi autem, *quoad habitum*. Certum enim

[1]. *q.1. Univer. n.5.* [2. *ibid. n.2.*

enim eſt ,quòd actus utriuſque ſunt diſtincti , aut ſaltem poſſunt diſtingui. De hoc non eſt difficultas.

Prob.1.pars. Ex Scoto,qui videtur hanc non diſtinguere,niſi per conſiderationes, ſcil. per intellectum. *Logica* , inquit, *dupliciter conſideratur, uno modo, in quantum eſt docens*, *alio modo*, *in quantum utimur ea* ,&c. ergo non diſtinguit realiter docentem ab utente, quia non ſunt multiplicanda Entia ſine neceſſitate , ſed nulla eſt neceſsitas multiplicandi , ſeu diſtinguendi realiter habitus Logicæ docentis,& utentis, ergo non diſtinguuntur realiter. Major eſt receptiſsimum axioma . Natura enim nihil facit fruſtra , ſuperflua reſpuit, vel non admittit . Prob. minor. Ibi non eſt neceſsitas multiplicandi duos habitus diſtinctos realiter,ubi unicus ſufficit, & præſtat totum, quod duo præſtarent, ſed unicus realiter habitus in docente,& utente totùm efficit,quod duo præſtarent, ergo nulla eſt neceſsitas illos diſtinguendi. Prob.minor. Totum munus Logicæ utentis habitualis eſt facilitas utendi regulis,ſeu præceptis, quæ tradit docens ad rectè conficiendum ſyllogiſmum, ſed id præſtat docens habitualis , ergo unus habitus totum facit, quod facerent duo .Probo min. Ille habitus facilitat ad conficiendum ſyllogiſmum, qui tradit regulas ad illum conficiendum perfectè , & expeditè , ſed hoc facit Logica docens , ad hoc enim tradit regulas, ergo Logica docens facilitat ad conficiendum ſyllogiſmum .

Confirmatur . Qui enim ſcit leges conficiendi ſyllogiſmum, non indiget alio habitu , ut illum faciat, ſaltem in propria materia. Si enim ſuperſit aliqua difficultas, non veniet ex parte Logicæ habitualis , ſed ex parte materiæ, circa quam conficiendus eſt .

Obijcies 1. Ubi ſunt diverſæ difficultates tollendæ, ibi ſunt diverſi realiter habitus : ſed in Logica docente, & utente ſunt diverſæ difficultates tollendæ, ergo & diverſi habitus realiter . Probo min. Difficultas ad docendas regulas bonæ argumentationis eſt diverſa à difficultate eas applicandi alicui materiæ , ſed prima pertinet ad docentem , & ſecunda ad utentem , ergo in docente , & utente ſunt diverſæ difficultates. Prob. major . Experientia in tyronibus Logicis, qui licèt memoria teneant optimas regulas ſyllogiſmi , in

Bar-

Barbara v. g. laborant tamen in eo conficiendo; ergo, &c.

Reſp. neg. min. primi argumenti,& maj. 2. & diſting. ant. tertii. Laborant tyrones in conficiendo ſyllogiſmo propter materiam, in qua conficiendus eſt,& propter debilitatem, & imperfectionem habitus,conc.antecedens: propter formam ſyllogiſticam, nego antec. & conſeq. Duplicem experieris difficultatem in conficiendo ſyllogiſmo, una provenit ex parte Logicæ, quando non benè tenes regulas ejus, & propterea indiges habitu Logicæ, altera provenit ex parte materiæ, & ad hanc tollendam indiges habitu illius ſcientiæ, ad quam illa materia pertinet.

Inſtabis. In Muſica, Rhetorica, Pictura, & cæteris artibus requiritur duplex realiter habitus, unus, quo artifex teneat regulas, & alter, quo facilitetur ad canendum, dicendum, pingendum, &c. ergo & in Logica.

Reſp.nego conſequens,& diſparitas eſt,quia in illis, & ſimilibus artibus ſunt diverſæ difficultates tollendæ in diverſis potentiis,& per conſequens diverſi habitus. In Muſica, tollenda eſt in intellectu,& memoria ignorantia Theoriæ, ſeu regularum cantus, & in voce,gutture, digitis,& potentiis corporis, difficultas motus, flexionis, vocis, &c. At pro Logica, totum negocium tam Theoriæ, ſeu docentis, quàm Praxis, ſeu uſus,eſt in eadem facultate, ſcil. in intellectu.

Objicies 2. Illi habitus ſunt diſtincti realiter, quorum actus ſunt diverſi realiter: ſed actus Logicæ docentis, & utentis ſunt realiter diverſi, ergo & habitus. Probo maj. Habitus diſtinguuntur per actus, ergo, ſi actus ſunt diverſi, ita & habitus.

Reſp. nego maj. & diſtinguo antec. prob. Habitus diſtinguuntur per actus elicitos,conc.antec.per actus, quos dirigunt, vel imperant,nego antec. Actus eliciti Logicæ docentis, & utentis non ſunt diverſi, quàmvis dirigant actus diverſos pro diverſitate materiarum, de quibus diſcurrunt. Actus autem tunc dicitur procedere elicitivè ab aliquo habitu, quando procedit immediatè ab illo abſque alterius efficientia, & concurſu immediatiori, directivè autem, quando ab alio elicitur immediatiùs. Quando ſyllogizas in materia phyſica, v.g. illi ſyllogiſmi ſunt directivè à

Lo-

Logicæ habitu, qui tradit regulas ad benè argumentandum, & elicitivè ab habitu Phyſicæ, qui ſecundùm illas regulas argumentatur, & diſcurrit in propria materia.

Objicies 3. Habitus Logicæ docentis non augetur per actus utentis, ergo illarum habitus ſunt diſtincti realiter. Prob. conſequens. Omnis habitus augetur per proprios actus: ſed actus docentis ſunt etiam utentis, ergo vel non ſunt idem habitus, vel habitus docentis debet augeri per actus utentis.

Reſp. nego conſequens, & diſt. majorem probationis: per proprios actus elicitos, & in propria materia, concedo majorem: per actus directos, & in aliena materia, nego majorem, & conſequens: quia habitus Logicæ non augetur per uſum ſyllogiſmi in materia Phyſicę, niſi valdè per accidens, vel ſi augetur, id tam facit ad docentem, quàm ad utentem, quatenùs ſemper ſubminiſtrat regulas ad benè argumentandum in illa materia, in debitis figura, & modo.

Objicies 4. ex Maſtrio, [1] qui vult, quòd habitus acquiſitus ex frequenti exercitio definiendi, dividendi, & argumentandi ſit realiter diſtinctus ab habitu tradente, ſeu dictante regulas generales illorum actuum. Scotus docet, [2] quod in cognitionibus, quæ ſunt propter operari, requiritur duplex habitus in intellectu: unus erit univerſalium, alter particularium, ex particularibus actibus genitus: ſed Logica eſt aliquo modo propter operari, ergo habitus docentis regulas generales eſt diſtinctus ab habitu utentis, qui generatur ex actibus particularibus.

Reſp. nego maj. Etenim ibi vult tantùm, quòd in illis cognitionibus habitus circa particularia diſtinguatur ab habitu circa regulas univerſales, ſicut particulare dependet ab univerſali, & non aſſerit diſtinctionem realem illorum habituum in entitate, ſed reſpectivã, & ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei, ut mox dicemus. Ex textu Scoti ſequitur tantùm, quòd Logica, ut *docens*, dirigit remotè actus particulares, &, ut *utens*, dirigit illos proximè. Agit autem de Morali: *habitus artis & ſcientię Moralis quaſi ſunt remoti ad dirigendum, quia univerſales: ſed habitus prudentiæ, & experti, quia generati ſunt ex acti-*

[1] *q. proœm. n. 5.* [2] *q. 4. prol. B. 5.*

actibus ſunt particulares, & propinqui ad dirigendum. Imò ex hoc textu elicerem confirmationem noſtræ concluſionis, quia ſicut prudentia non eſt habitus realiter diſtinctus à ſcientia Morali, niſi velut pars à toto,& incluſum ab includente, ſic Logica utens eſt habitus partialis incluſus ſub docente. Sed adhuc id non concedimus, nec valet paritas de ſcientia propriè operativa, & practica, qualis eſt ſcientia Moralis ad Logicam, quæ ex Scoto non eſt propriè practica, ut videbimus; maximè quia in Morali ſunt duæ facultates juvandæ, ſcil. intellectus, qui debet illuminari, & doceri de bonitate, vel de malitia actus,& voluntas,quæ debet inclinari ad bonum amplectendum, & malum vitandum,quod non contingit in Logica,ubi ſolus intellectus eſt, qui docetur, & agit.

Dixi autem in concluſione, *has duas Logicas diſtingui formaliter.* Nam ex Scoto citato, [1] diſtinguuntur ex diverſis minoribus conſiderationibus, ſed hoc ſufficit ad diſtinctionem formalem, ergo ſic diſtinguuntur. In hoc non eſt difficultas.

CONCLUSIO IV.

H*Æc Diviſio Logicæ in utentem,& docentem eſt de tota Logica, ita,ut, tam quoad partem demonſtrativam, quàm quoad topicam, ſit docens, & utens.* Ita communiter Scotiſtę, & alii cum Doct. [2] Probatur ex Doctore. Logica docet ſcientifico modo definire,& dividere,& argumentari in quacunque materia tam in neceſſaria, & evidenti, quàm in probabili, imò & in parte ſophiſtica, ergo tam in parte demonſtrativa, quàm in topica, & probabili eſt *docens, & utens*, nec in hoc videtur difficultas.

Objicies. Si eſſet utens reſpectu demonſtrativę,hoc eſſet vel in propria materia, vel in materia aliarum ſcientiarum, ſed neutrum dici poteſt,ergo non datur Logica utens reſpectu partis Demonſtrativæ. Probo min. quoad primam, ſcil. non in materia propria, quia uſus regularũ diſtinguitur à doctrina, quam reſpicit,ergo non dicitur utens in propriis demonſtrationibus. Probatur quoad 2. ſcil. non in materia aliarum: quia quælibet ſcientia conficit proprias ſuas de-

[1] *q.1.Univer.n.2.* [2] *q.tet.2. Elenchi.*

demonſtrationes, & ſic non procedunt à Logica, ſed à ſingulis illis ſcientiis.

Reſp. nego min. quoad utranque partem. Nam ſive in propria materia, ſive in aliena conficiantur ſyllogiſmi ſecundùm regulas Logicæ, ſemper in illis concurrit habitus Logicæ, partialiter quidem cum aliis, & in earum materia, totaliter verò in propria.

QUÆSTIO II.

Qualis ſit Logica, anſit Ars, vel Scientia.

SUppono 1. ex Philoſ. [2] ſex eſſe genera notitiæ, ſeu habituum in intellectu, *ſapientiam*, *ſcientiam*, *intelligentiam*, ſeu *intellectum*, *prudentiam*, *opinionem*, & *artem*. *Sapientia* eſt notitia rerum præſtantiſſimarum,& altiſſimarum, talis eſt Metaphyſica. *Scientia* eſt cognitio certa, & evidens de rebus neceſſariis, parta per diſcurſum ſyllogiſticum. *Intelligentia*, ſeu *intellectus*, qui *habitus primorum principiorum* dicitur, eſt cognitio evidens eorum principiorum,quæ naturaliter ſunt nota,citra diſcurſum ullum, ullamve argumentationem partam, v.g. *Omne totum eſt majus ſua parte*. Hæc propoſitio talis eſt, ut intellectus illi aſſentiatur naturaliter ex ſola terminorum apprehenſione, & abſque ullo diſcurſu; & habitus,quo fertur ad talem aſſenſum, dicitur *intellectus*, vel *habitus primorum principiorum*. *Prudentia* eſt habitus verus, cum recta ratione activus eorum,quæ hominibus bona ſunt, vel mala, ſeu notitia directiva actionum humanarum, ut benè, & laudabiliter fiant in genere moris. Vocatur etiam *Ethica*,quia reſpicit mores hominum. *Ars* dicitur habitus cum recta ratione factivus, ſeu propriè loquendo,principium operis externi, ejuſque regula. Denique *opinio* eſt notitia probabilis,& obſcura de re contingenti.

Suppono 2. Ad rationem *artis* propriè dictæ requiri, 1. ut habeat quaſdam regulas generales, quæ dirigant potentias ad opus benè,rectèque faciendum, 2. ut verſetur circa aliquod factibile,id eſt,aliquod opus externum,quod exeat extra operãtem. Nam ea diffe-

rentia

[1] *E.c.3.*

rentia eſt inter *activum*, & *factivum* , quòd *activum* eſt principium operis interni , quod non egreditur extra animam, ut prudentia, quæ dicitur activa, quia dirigit actiones internas voluntatis; *factivum* autem eſt principium operis externi .

Rurſus, opus externum, aliud eſt *tranſiens*, aliud *immanens*. Opus *tranſiens* illud eſt, quod non durat poſt actionem, ſed cum illa tranſit, ut ſaltatio, cantus, hæc, & ſimilia opera tranſeunt cum actione canendi, & ſaltandi . *Immanens* verò permanet poſt actionem, ut opus artis fabrilis, ſcamnum v.g. permanet poſt actionem fabri lignarii . Quidam addunt tertiam hanc conditionem ad artem propriè dictam, ut ſcil. non habeat demonſtrationes, quibus proprietates de ſuo objecto demonſtret. Licèt enim objectũ artis non ſit minùs infallibile, ac neceſſarium, quàm objectum ſcientiæ, modò ſerventur regulæ artis, ſcientia tamẽ ſola verſatur circa objectum ſuum per demonſtrationem, ars verò nititur ſola experientia abſque diſcurſu . Non puto tamen, hanc conditionem eſſe neceſſariam. Nam etſi faber uteretur diſcurſu circa ſua opera, non minùs eſſet ars, ſed diceretur *ars ſcientifica*.

Suppono 3. ad ſcientiam propriè dictam, juxta allatam definitionem quatuor requiri conditiones. 1. eſt, ut ſit *Cognitio certa*, & per hoc diſtinguitur ab opinione, quæ eſt incerta, & cum formidine oppoſiti, quia nititur medio contingenti, quod poteſt aliter, & aliter ſe habere. 2. ut ſit *evidens*, & ſic diſtinguitur à fide, quæ eſt certiſſima quidem, & certior omni ſcientia naturali, & creata, ſed eſt obſcura, quia nititur revelatione divina, quæ obſcura eſt. Id à fortiori verum eſt de fide humana, quæ nititur verbis hominum, ſed hæc incerta eſt, quia *omnis homo mendax*. 3. ut ſit *de rebus neceſſariis*, ſcil. quæ non poſsunt aliter ſe habere. De incertis enim non poteſt haberi cognitio certa. Et per hoc jam diſtinguitur ſcientia ab arte, cujus objectum eſt contingens, & poteſt bene, aut malè fieri . 4. ut ſit *parta per diſcurſum ſyllogiſticum*, & per hoc diſtinguitur ab intelligentia, ſeu habitu primorum principiorum. Hæc cognitio eſt quidem certa, & evidens, ſed non eſt partus demonſtrationis, ſed ſimplicis apprehenſionis terminorum,

ut

ut dictum eſt. His ita ſuppoſitis, quærimus, ad quem ex prædictis habitibus intellectualibus pertineat Logica, & maximè an ad artem, vel ſcientiam. Nam ex iis, quæ dicentur de arte, & ſcientia, facilè colligetur, quid dicendum de aliis.

CONCLUSIO I.

L*Ogica ſive docens, ſeu utens, non eſt ars propriè dicta*. [1] Eſt communis.

Probatur 1. ex Scoto, quia, ſi eſt ſcientia, non eſt ars. *Dicendum*, inquit, *quòd Logica eſt ſcientia, quæ in ea docentur, demonſtrativè concluduntur*, &c. ergo ex Scoto Logica abſolutè non eſt ars.

Probatur 2. Et de Logica *utente*: ſi enim hæc non eſt ars, minùs id licebit dicere de docente: ars propriè dicta verſatur circa factibile, ſed Logica non verſatur circa opus factibile, ſaltem ex ſe, ſed circa operationes internas intellectus, ergo non eſt ars propriè dicta, & per ſe. Nam quòd operationes mentis, ſeu opera logicalia prodeant ad extra, ſcilicet per vocem, aut ſcripturam, per accidens eſt, & ſine his Logica totam ſuam perfectionem habet in mente Philoſophi.

Dixi, non eſse *artem propriè dictam*. Nam ſi nomine artis nil aliud intelligatur, quàm habitus, qui verſatur circa quodcunque agibile, aut factibile, ſive ſit opus internum, & ſic dicitur *ars liberalis*, ſive externum, & dicitur *ars mechanica*, rectè Logica utens dicetur ars, & quidem *liberalis*. Tales enim artes ſunt ordinatæ ad bonum animi, non corporis. Unde Ariſtoteles dividit artem in *habitum factionis*, & *actionis*, ille reſpicit opera externa, iſte opera interna, & immanentia. Et talis eſt Logica utens, ergo, &c.

Objicies. Si non eſt ars, ergo eſt ſcientia. Nec enim videtur ad alium habitum pertinere poſse, quàm ad artem, aut ſcientiam.

Reſp. Dici poſse ſcientiam, quantum ad habitum, ut mox dicetur.

CON-

[1] *q.1. Univerſalis n.2.*

CONCLUSIO II.

Logica naturalis non eſt ſcientia. Eſt etiam communis ex principiis Scoti.

Prob. 1. ex principiis Scoti, quia nulla diſpoſitio naturalis eſt ſcientia, ſed Logica naturalis eſt huiuſmodi, ergo non eſt ſcientia.

Prob. 2. quia ſcientia eſt eſſentialiter diſcurſiva, & parta per diſcurſum ſyllogiſticum, ſed hoc non reperitur in Logica naturali, quæ neſcit illud artificium eſt enim potiùs, habitus principiorum, ergo non eſt ſcientia propriè.

CONCLUSIO III.

Logica utens, formaliter ut utens, non eſt ſcientia; id eſt uſus ille præceptorum Logicæ non eſt ratio, ſub qua eſt ſcientia. Eſt Doctoris, & aliorum.

Probatur 1. ex Scoto. *Logica dupliciter conſideratur, uno modo, in quantum eſt docens, & ſic ex neceſſariis, & propriis principiis procedit ad neceſſarias concluſiones, & ſic eſt ſcientia: alio modo, in quantum utimur ea applicando eam ad illa, in quibus eſt uſus, & ſic non eſt ſcientia*. Ergo ex Scoto, ut utens, non eſt ſcientia.

Probatur 2. Uſus ille eſt quid contingens, ergo uſus ille non poteſt eſſe ratio, ſub qua nomen ſcientiæ poſſit illi convenire. Antecedens patet: nam uſus ille poteſt eſſe, & non eſſe, & per ſe non intenditur à ſcientia, ſed ſola cognitio bonæ definitionis, & argumentationis. Probatur conſequentia, quia ratio formalis, ſub qua nomen ſcientiæ datur alicui cognitioni, debet eſſe quid neceſſarium, & per ſe intentum à ſcientia, ut patet ex dictis, ergo &c.

Prob. 3. Quia ratio ſcientiæ conſiſtit in habitu, & ratio utentis conſiſtit in actione, quæ eſt diverſi prędicamenti ab habitu, ſcientia enim eſt de prædicamento qualitatis, ergo Logica non conſtituitur in eſſe ſcientiæ per illum uſum præceptorum docentis. Prob. conſeq. Uſus, qui eſt de prędicamento actionis, eſt aliud à ſcientia, quæ eſt de prædicamento qualitatis, ergo Logica non poteſt conſtitui in eſſe ſcientiæ per uſum illum.

Objicies 1. Logica eatenus eſt ſcientia, quatenus parit ſcientiam, ſed Logica eatenus parit ſcientiam, quatenus explicat regulas boni diſcurſus, ergo eſt tantùm ſcientia, quatenus utens eſt. Prob.min. Logica eatenus parit ſcientiam, quatenus ſubminiſtrat demonſtrationes, quibus aliqua propoſitio attingitur ſcientificè, ſed eatenus hoc non facit, niſi quatenus applicat ſuas regulas, ergo eatenus facit ſcientiam, quatenus utens eſt.

Reſp. diſt. majorem. Eatenus eſt ſcientia, quatenus parit ſcientiam formaliter, conc. maj. inſtrumentaliter tantùm, nego maj. Et ſimiliter diſt. min. parit ſcientiam, quatenus applicat regulas inſtrumentaliter, conc. min. formaliter, nego min. & conſequentiam. Igitur Logica eſt ſcientia, quatenus intellectum facit ſcientem formaliter, non verò quatenus facit ſcientem efficienter, & inſtrumentaliter.

Objicies 2. Unius, & ejuſdem habitus eſt eadem ratio, ſed per nos Logica docens, & utens eſt unus habitus, ergo utroque reſpectu eſt ſcientia.

Reſp. diſt. maj. Si ſit unus, & idem tam formaliter, quàm realiter, conc. maj. & nego min. ſi ſit ab iiſdem realiter, & formaliter diſtincta, nego maj. & conſequentiam. Nam, ut ſub uno reſpectu, & munere ſit ſcientia, & non ſub alio, ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei inter utranque Logicam. Sicut enim malè philoſopharetur, qui diceret, *homo, ut animal, eſt riſibilis*, quia ſignificaret, riſibilitatem convenire homini propter animalitatem, quod falſum eſt: ita qui diceret, quòd Logica, ut utens, eſt ſcientia, quia ſignificaret uſum, & actionem eſſe rationem, cur ſcientiæ nomen illi conveniat.

Objicies 3. Logica, ut utens, demonſtrat, ergo, ut utens, eſt ſcientia.

Reſp. diſt. ant. Demonſtrat inſtrumentaliter, concedo antec. formaliter, ideſt, tanquàm principium cognoſcitivum, nego antec. & conſeq. Logica in uſu demonſtrat, ſicut malleus cudit, non verò ſicut malleator, & ſicut malleus non eſt ars, ita nec Logica eſt ſcientia.

CON-

CONCLUSIO IV.

L*Ogica docens ſecundùm præcipuas ſuas partes eſt ſcientia* . Eſt Doctoris cum ſuis , & aliis ferè *communiter*.

Mens Doctoris patet ex præcedenti concluſione, & textu adducto .

Prob. ratione 1. Omnis cognitio ſcientifica eſt ſcientia, ſed talis eſt Logica ſecundùm præcipuas ſuas partes, ergo eſt ſcientia . Prob. min. Pręcipuæ partes Logicę ſunt Definitio, Diviſio, & Argumentatio, ſed ſecundùm illas eſt ſcientifica, ergo, &c. Prob. min. De illis partibus habet veras demonſtrationes, ergo de illis eſt ſcientifica. Patet conſeq. Nam ſcientia eſt cognitio certa, & evidens parta per demonſtrationem. Probatur ergo anteced. 1. de definitione probat, quòd debet dari per verum genus , & differentiam, ſic: *omnis oratio explicans naturam rei debet dari per verum genus , & differentiam ejus , ſed omnis definitio eſt oratio explicans naturam rei , ergo debet dari per verum genus , & differentiam* . Item probatur, quòd nihil aliud debet habere, ſic: Oratio explicans naturam rei, nihil debet habere, quod ſit extra eſſentiam rei, ſed quidquid non eſt verum genus , & differentia rei, eſt extra eſſentiam rei , ergo bona definitio nihil debet habere, niſi verum genus , & differentiam .

Secundò , de Diviſione probat , quòd debet dari per membra oppoſita, ſic , *Quoties aliquod totum adæquatè dividitur , membra dividentia debent ſe ſe excludere mutuò*, ſed per diviſionem omne totum adæquatè dividitur , ergo membra dividentia in omni bona diviſione debent ſe ſe mutuò excludere .

Tertiò, pro parte Analytica ſic demonſtrat præmiſſas eſſe evidentiores concluſione, *Propter quod ununquodque eſt tale , illud magis eſt tale , ſed concluſio eſt evidens propter præmiſſas, ergo ipſę debent eſſe evidentiores concluſione* .

Quartò , pro demonſtrativa probat , quòd cauſet ſcientiam : *Omnis ſyllogiſmus conſtans præmiſſis veris, evidentibus , neceſſariis , & cauſis concluſionis , cauſat ſcientiam , ſed talis eſt omnis demonſtratio , ergo omnis demonſtratio cauſat ſcientiam* .

Quintò, pro Dialectica ſic probat ſyllogiſmum ejus

cauſare tantùm opinionem. *Omnis ſyllogiſmus conſtans præmiſſis tantùm probabilibus generat tantùm opinionem, ſed talis eſt omnis ſyllogiſmus dialecticus, ergo generat tantùm opinionem.*

Sextò pro parte ſophiſtica probat concluſionem ſyllogiſmi ſophiſtici non eſse bonam, ſic: *Omnis ſyllogiſmus peccans in modo, & figura, non habet bonam concluſionem, ſed talis eſt omnis ſyllogiſmus ſophiſticus, ergo, &c.*

Prob. 2. concl. Logica docens habet omnes conditiones veræ ſcientiæ in præcipuis ſuis partibus, ergo eſt verè ſcientia. Antec. patet diſcurrenti per ſingulas conditiones ſcientiæ. Primò eſt *Cognitio certa*, quia ſcit certò ſyllogiſmum eſſe orationem, in qua ex præmiſſis rectè diſpoſitis ſequitur bona concluſio. Secundò eſt *Evidens*, quia id ſcit per principia evidentia, ut patet ex demonſtrationibus allatis. Tertiò eſt *Cognitio rei neceſſariæ*, id eſt, quæ non poteſt aliter ſe habere, quia ſyllogiſmus eſſentialiter talis eſt, ſicut homo eſt eſſentialiter, & neceſſariò animal rationale. Quartò denique eſt *Cognitio parta per demonſtrationem*, ut patet ex præcedenti probatione. Ergo habet omnes conditiones veræ ſcientiæ.

Objicies 1. ex Ariſtot. [1] Illi tollunt naturam Logicæ, qui eam non ut facultatem, ſed ut ſcientiam tradunt, ſed facultas non eſt ſcientia, ergo nec Logica. Item docet, quòd problemata Logica ancillantur problematibus ſcientificis, & activis. Tertiò, quòd abſurdum eſt quærere ſcientiam, & modum ſciendi. Quartò, negat eã tractare de re aliqua determinata, ſcientia autem debet eſſe de objecto proprio, & certo. Quintò, enumerans ſcientias, non meminit Logicæ. Ergo ex Ariſtotele Logica non eſt ſcientia.

Reſp. neg. conſeq. nec enim ſequitur ex illis textibus benè intellectis. In primo arguit eos, qui non tractant Logicam, ut inſtrumentalem, id eſt, ut aliis præmittendam, & inſervientem. In 2. docet tantùm, quòd Logica inſervit aliis ſcientiis, ut inſtrumentalis; non negat, quin ſit etiam in ſe ſcientia, & in hoc, quòd non penitùs gratia ſui, diſtinguitur ab aliis. Ad 3. reſp. Doctor, Logicam non eſſe modum ſciendi

[1] *L. 1. Ethic. c. 3. L. Topic. c. 7. L. 2. Metaph. c. 15. L. 4. Metaph.*

ſciendi formaliter, & in recto, ſed materialiter, & concomitanter, quatenus agit de modo ſciendi, & circa illud verſatur velut objectum ſuum, & materiam, ſed ſcientificè. Aliæ ſcientiæ verſantur circa res: hæc autem circa modum ſciendi: & quia modus ſciendi debet priùs haberi, & quæri, quàm ſcientia, ideò rectè Ariſtoteles dicit, abſurdum eſſe utrunque quærere: quæri enim debent ſucceſſivè. Ad 4. loquitur de Logica utente, quæ applicatur rebus omnibus, non verò de docente, quæ habet Syllogiſmum pro objecto. Ad 5. denique dico, Logicam eſſe ſcientiam rationalem, & ideò non fuiſſe recenſitam à Philoſopho, quia ibi recenſuit ſcientias reales.

Objicies 2. Scientia debet eſſe de objecto neceſſario, & æternæ veritatis, ſed objectum Logicæ non eſt neceſſarium, & æternæ veritatis, ergo Logica non eſt ſcientia. Maj. patet ex conditionibus ſcientiæ, & ejus definitione. Prob. min. Illud non eſt neceſſarium, quod fit à nobis, & poteſt aliter, & aliter fieri, ſed tale eſt objectum Logicæ, nempè Syllogiſmus, ergo non eſt neceſſarium.

Reſp. diſt. utranque maj. Debet eſse neceſſarium, quoad eſſentiam, & ſpecificationem, conc. majorem, quoad exiſtentiam, & exercitium, nego majorem: ſed objectum Logicæ non eſt neceſſarium, & æternæ veritatis, diſting. minorem, quoad exercitium, & exiſtentiam, & ſic à nobis fit, & ſecundùm hoc poteſt benè, vel malè fieri, concedo minorem utranque, quoad ſpecificationem, & eſſentiam, & ſic poteſt aliter, & aliter ſe habere, nego utranque minorem. Syllogismus igitur conſideratur à Logica docente ſecundùm ſpecificationem, & eſſentiam ſuã, & ſecundùm eam tam neceſſarius eſt, quàm aliud quodcunque objectum cujuſcunq; ſcientiæ, & non poteſt aliter ſe habere, quàm, ut docetur in ea, ſecundùm exiſtentiam autem eſt contingens.

Objicies 3. Modus, & inſtrumentum ſciendi non eſt ſcientia, ſed talis eſt Logica, ergo non eſt ſcientia. Major patet: nam inſtrumentum artis non eſt ars, ergo & inſtrumentum ſcientiæ non eſt ſcientia. Minor etiam probatur ex communi omnium conſenſu, qui Logicam vocant organum, inſtrumentum, & modum ſciendi.

Reſp.nego min. vel diſt. ex jam dictis. Logica docens eſt modus ſciendi in obliquo, & materialiter, quatenus agit de modo ſciendi, & docet, qualis eſſe debeat, conc.min. formaliter, & in recto, nego min. & conſequens. Id ad ſummum verum eſset de Logica utente formaliter, & reduplicativè, ut utens eſt: & hanc non dicimus eſſe ſcientiam, niſi radicaliter, & in habitu, quo identificatur cum docente.

Inſtabis. Logica agit de ente rationis, ſed ens rationis non eſt neceſſarium ſecundùm eſſentiam, nec ſecundùm exiſtentiam, ergo non eſt ſcientia. Probo min. Non ens non habet eſſentiam, nec proprietates, ſed ens rationis eſt non ens, ergo, &c.

Reſp.diſt.maj. De ente rationis, ideſt, de ente, quod à ratione dependet in eſſe, & fieri, & habet veram eſſentiam, conc. maj. de ente fictitio, ut eſt chimæra, nego majorem: ſed ens rationis in ſecundo ſenſu non habet eſſentiam, conc min. in primo ſenſu nego min. Definitio igitur, diviſio, ſyllogiſmus, & ſecundæ intentiones ſunt opera rationis, ſed realia, veram, & neceſſariam habentia naturam, ac æternæ veritatis, quantum ad connexionem quorundam prædicatorum cum ipſis, non autem quoad exiſtentiam, ut diximus.

Inſtabis 2. Quantum ad partem Topicam non eſt de neceſſariis, ſed contingentibus, & quantum ad Sophiſticam, non eſt de veris, ſed falſis, & apparentibus, ergo ſaltem quoad illas partes Logica non eſt ſcientia.

Reſp. diſt. ant. Non eſt de neceſſariis, ſed contingentibus, materialiter, & in ſe, conc. antec. formaliter, & ſecundùm modum, ſecundùm quem conſiderantur à Logica, nego antec. Idem eſt de Sophiſtica. Nam Logica conſiderat probabilia, & apparentia, & ſophiſmata ſecundùm quendam modum, ſecundùm quem ſunt neceſſaria, & vera. Nihil enim verius eſt, nec magis neceſſarium, quàm quod docet de illis, ſcil. ex probabilibus non elici, niſi cognitionem probabilem, & opinionem, & ex falſis, atque apparentibus, ſeu ex ſophiſmatibus, errorem. Item docet artificium Syllogiſmi Dialectici, quod eſt neceſſarium æquè, ac in Demonſtrativis, ſcilicet quoad modum, & figuram, & artificium ſophiſmatis

ad

ad evitandam captionem, & detegendos defectus, & quidem claré, & ſcientificè.

Objicies 4. Scientia eſt partus demonſtrationis, ſed Logica non eſt partus demonſtrationis, ergo non eſt ſcientia. Probo min. Nihil poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, nec prius, & poſterius ſe ipſo, ſed hoc eſset Logica, ſi eſſet effectus demonſtrationis, ergo, &c. Probo min. 1. enim eſt effectus demonſtrationis, & poſterior demonſtratione, ut ſupponitur, & ex conceſſis, 2. eſſet prior, & cauſa, quia illa demonſtratio eſset ab ipſa Logica docente, & utente, ergo eſset prior, & poſterior ſeipſa, &c.

Reſp. nego min. primi, & ſecundi argumenti, & diſtinguo conſequens. Logica ſcientia eſset poſterior ſe ipſa ſub diverſo reſpectu, conc. conſequentiam, ſub eodem reſpectu, nego conſequentiam. Logica præceptoris eſt prior, & cauſa Logicæ diſcipuli; Logica naturalis, & imperfecta eſt cauſa Logicæ artificialis, & perfectæ. Sic igitur generata, & parta eſt Logica artificialis: primò per Logicam naturalem formarunt homines bonos, & malos ſyllogiſmos, adverterunt, unde oriretur imperfectio, & defectus iſtorum præ illis, & poſt longas reflexiones, & meditationes, & experientias, & exercitationes, tandem invenerunt regulas generales, & infallibiles, quibus ſemper, & infallibiliter conficerentur perfecti ſyllogiſmi, ac demonſtrationes. Prior illa Logica naturalis, & imperfecta fuit cauſa, ſaltem occaſionalis, perfectæ, poſterioris, & ſcientificæ, quam modò habemus. Idem ferè poſſet objici, & reſponderi de aliis ſcientiis.

QUÆSTIO IV.

Qualis ſcientia ſit Logica, an realis, vel rationis?

Scotus videtur decidere quæſtionem, dum dicit, [1] Logicam non fuiſse numeratam à Philoſopho inter ſcientias reales, quia non eſt talis, ſed eſt ſcientia rationalis. Tamen de hoc non convenit inter Scotiſtas, ideò

Suppono 1. omnem ſcientiam dici realem entitati-

 vè,

[1] *Q. 1 Univerſ. ad 2. & q. 1. Præd. 2. canitat. n. 15.*

vè, & ſubjectivè, quia ſi vera eſt, eſt qualitas realis, perficiens intellectum, & verè ſubjectatur in intellectu: & de Logica in hoc ſenſu non eſt dubium, quin ſit qualitas realis, & realiter ſubjectata in intellectu.

Suppono 2. Scientiam dici realem, aut rationalem ex parte objecti ſui, quando illud verè eſt reale, etiam ſecundùm rationem, ſub qua conſideratur ab ea, quæ ratio non eſt quid inexiſtens in objecto materiali per operationem ullam intellectus. Sic Phyſica eſt ſcientia realis, quia obiectum ejus eſt corpus naturale, & naturalitas, ſub qua illud conſiderat, non eſt denominatio proveniens ex operatione intellectus.

Suppono 3. Scientiam dici poſſe rationalem, 1. *ratione ſubjecti*, quia ſubjectatur in intellectu, qui eſt ratio. 2. *Comparativè*, ſeu *quaſi effectivè*, quia comparatur, & cauſatur per actus rationis quærentis, & colligentis ignota ex notis per diſcurſus ſuos. 3. *Directivè*, quia dirigit actus, ſeu operationes rationis. Et 4. *Objectivè*, quia conſiderat, ut dicebamus, objectum ſuum ſub aliquibus formalitatibus, ſeu rationibus dependentibus ab operatione intellectus. Secundùm tres primas conſiderationes omnis ſcientia dici poſset rationalis, quia omnes ſcientiæ ſubjectantur in intellectu, omnes comparantur ratiocinationibus, & dirigunt rationem, maximè Logica, quę id unum intendit, ut dirigat operationes intellectus, ut rectè ratiocinetur. Quarta verò conſideratio poteſt eſse magis ſpecialis, & diſtinguere illas, quæ verè dicuntur reales, ab his, quæ dicuntur rationales.

CONCLUSIO.

Logica non tantùm entitativè, ſed etiam ex natura rei, eſt realis, extrinſecè verò eſt rationalis. Ita Scotiſtæ ferè omnes, & quidem ex Scoti mente. Sic enim deponit eam Mauritius, *Logica eſt ſcientia realis, denominatione intrinſeca, cum ſit vita res primæ intentionis, reponibilis in prædicamento Qualitatis. 2. Dico, quòd eſt ſcientia rationalis, vel rationis, denominatione extrinſeca, non modò ſubjectiva, quia ſic omnis ſcientia eſt rationis, ſed objectiva. Adverte tamen, quòd abſolutè dicitur ſcientia rationis, quia ſcientia importat habitudinem*

ad

ad objectum, licèt in veritate ſit habitus realis.

Prob. 1. pars. Quia entitativè eſt qualitas realis verè inexiſtens intellectui, & cauſatur per actus reales intellectus, nec in hoc videtur eſſe poſſe difficultas.

Prob 2. pars, quia objectũ Logicæ eſt quidem opus rationis, ſed opus verè, & intrinſecè reale, ergo Logica erit realis ex natura rei. Prob. ant. Quia quàmvis repugnaret omne ens rationis, & omnis ſecunda intentio, adhuc poſſibilis eſſet ſcientia definiendi, dividendi, & argumentandi, ergo ex natura rei objectum Logicæ eſt quid reale. Prob. conſeq. Quia illæ operationes dividendi, & definiendi, & argumentandi ſunt verè reales ex ſe, ſub quibus jam conſiderantur objecta Logicæ, ergo, &c.

Confirmatur. Quia quàmvis nullæ reſultarent hujuſmodi denominationes in objectis ex actibus intellectus, non minùs demonſtratio vera haberet vim cauſandi ſcientiam, ergo non minùs eſſet objectum Logicæ. Prob. ant. Quia vis illa cauſandi effectum realem, qualis eſt ſcientia, non poteſt eſſe ens rationis, nec dici poteſt, quòd demonſtratio cauſet ſcientiam illam per ens rationis, & re vera Demonſtratio cauſat ſcientiam, & vi formæ ſyllogiſticæ, ſeu debitę diſpoſitionis terminorum, & vi propoſitionum in modo, & figura, ſed hæc diſpoſitio ex natura rei eſt quid reale, non verò pura relatio rationis, alioqui non cauſaret effectum realem, ergo, &c.

Prob. 3 pars. Quia de facto res omnes, termini, propoſitiones, & ſyllogiſmi, & alia, quæ conſiderantur à Logica, non ſolùm ſunt in entitate operationes rationis, ſed etiam conſiderantur ſub denominationibus, & relationibus quibuſdam petitis ab opere intellectus, quas vocamus ſecundas intentiones. Nam tales ſunt denominationes prædicati, ſubjecti, copulæ, majoris, & minoris extremi, & medii: item denominationes generis, ſpeciei, differentiæ, &c. ergo quantum ad hęc Logica denominatur ſcientia rationalis.

Objicies 1. contra 2. partem, locum citatum Scoti, ubi excludit Logicam à numero ſcientiarum realium, ergo eſt tantùm ſcientia rationalis.

Reſp. Scotum, & alios loqui de Logica ſub tertia illa conſideratione, ſub qua nos etiam dicimus eſſe rationalem, ſc. extrinſecè, & per ordinem ad obje-

ctum, ut diximus ab initio, & quia tota verſatur circa directionem operationum rationis, ad diſtinctionem aliarum ſcientiarum, quæ conſiderant res extra intellectum exiſtentes.

Objicies 2. Totum artificium ſyllogiſticum fundatur in ente rationis, ergo tota Logica etiam intrinſecè, & ex natura ſua eſt rationalis. Probo antec. Totum artificium, & vis ſyllogiſmi conſiſtit in debita diſpoſitione terminorum, & propoſitionum in modo, & figura, ſed tota illa diſpoſitio eſt ens rationis, ergo totum objectum formale Logicæ eſt ens rationis. Probo min. Totum illud artificium, & vis conſiſtit in eo, quòd illud ſubjiciatur, quod debet ſubjici, & prædicetur, quod debet prædicari, quòd una propoſitio ſit antecedens, alia conſequens, &c. ſed illæ omnes denominationes, relationes, & diſpoſitiones *prædicati, ſubjecti, medii, antecedentis, & conſequentis* ſunt entia rationis, ergo, &c.

Reſp. nego antec. primi argumenti, min. 2. & 3. Nam licèt non adeſsent illæ denominationes *prædicati, ſubjecti*, &c. diſcurſus non deſineret eſse ordinatus, & habere vim ſuam, & modò ſervetur ordo in conceptibus objectivis, ſemper infertur ignotum ex noto, & intellectus affirmat unum de alio, & per conſequens illæ relationes, & denominationes ſunt extrinſecæ actibus realibus intellectus.

Objicies 3. Omnis ſcientia realis debet habere aliqua prima principia realia, à quibus procedunt concluſiones, quę demonſtrantur de ſuo objecto, ſed Logica nullum tale habet principium de ſuo objecto, ergo de ſe non eſt realis. Prob. min. Tota vis ſyllogiſtica nititur his principiis, *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, & *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, &c. Ars definiendi nititur notionibus *Generis, Speciei, & Differentiæ*. Sed hæc omnia ſunt entia rationis, ergo, &c.

Reſp. nego min. primi argumenti, & diſt. maj. 2. Nititur illis principiis extrinſecè, quatenus illa principia ſic explicantur per ſecundas illas intentiones, & entia rationis, conc. maj. ex natura rei, adeò ut, ſi de facto non ſic explicarentur illa principia per illas ſecundas intentiones, ſeu denominationes, ſed per nomina, & terminos primæ intentionis, nõ haberent

ean-

eandem vim, nego maj. & conſeq. Imò & de facto illud principium, *Quę ſunt eadem uni tertio*, eſt reale, & exprimitur per terminos primæ intentionis, & per conceptus objectivos, ut patet.

Objicies contra 3.p. Ideò Logica dicitur rationalis extrinsecè, quia reſpicit objectum ſuum ſub ſecundis intentionibus, ſed ſecundæ intentiones ſunt reales, non verò entia rationis, ergo etiam extrinſecè Logica eſt realis.

Reſp. diſt. min. Sunt reales, id eſt, non ſunt ſcientiæ, conc. min. non ſunt denominationes petitæ ab opere rationis, nego min. Secundæ intentiones non ſunt entia rationis rigoroſè, ſicut chimæra, ſed tamen ſunt entia rationis, prout omne id, quod non inexiſtit in re, niſi per denominationem extrinſecam petitam ab operatione intellectus, dicitur ens rationis, & opponitur enti reali, quod ex natura rei inexiſtit in re, ut ſunt primæ intentiones, quod ſufficit pro nunc. Videbimus enim ſuo tempore, quomodò ſecundæ intentiones ſint entia realia, vel rationis.

QUÆSTIO VI.

An Logica ſit ſcientia practica, an ſpeculativa.

SUppono 1. Scientiam dividi in *Speculativam*, & *Practicam*. *Speculativa* ea eſt, quæ ex ſe ſiſtit in contemplatione ſui objecti, ſeu veritatis, abſque ullo ordine ad opus alterius potentiæ, quàm intellectus. Dixi, *ex ſe*, quia licèt quis pro arbitrio vellet præfigere alium finem ſcientiæ præter eum, ad quem ordinatur ex natura ſua, non propтereà faceret eam practicam; id enim illi eſſet extrinſecum, & per accidens. *Practica* verò eſt illa, quæ ex ſe ordinatur ad praxim, ſeu quæ eſt directiva praxis.

Porrò praxim deſcribit Doctor, [1] *actum alterius potentiæ, quàm intellectus, naturaliter poſteriorem intellectione, natum elici conformiter rationi rectæ, ut fiat rectus.* Dicitur 1. *actus*, & ponitur loco generis, quia per hoc convenit praxis cum ſpeculatione, quæ eſt etiam *actus*. Reliquæ particulæ tenent locum differentiæ. Nam 2. dicitur, *alterius potentiæ, quàm intellectus*, & ſic excluduntur à ratione praxis omnes

[1] *Q. 4. prol. A. 5. 3. Dico igitur.*

actus intellectus. 3. *Naturaliter poſterior intellectione*, quia intellectio, quæ eſt directiva praxis, debet illam præcedere ſaltem aliqua prioritate naturę, quandoquidem eſt ejus regula. Et per hoc excluduntur à ratione praxis actus potentiæ vegetativæ, & ſenſitivæ, qui nobis ſunt communes cum brutis, & qui, ut fiant, non prærequirunt intellectionem præcedentem. Item motus primò primi ſæpiùs illā præcedunt. 5. *Natus elici conformiter rationi rectæ, ut fiat rectus*, ſcil. actus, qui dicitur praxis, debet poſſe regulari per rectam rationem. Et ſic excluduntur à ratione praxis omnes illi actus, qui ſunt incapaces directionis.

Tres igitur cōditiones requiruntur ad praxim propriè dictam. 1. *Ut ſit opus alterius potentiæ, quàm intellectus*, quia ex Ariſt. [1] ex D. Th. & Scoto, *Intellectus extenſione fit practicus*, nulla autem fit extenſio intellectus intra ſeipſum, & quandiù verſatur circa proprios actus, extendi enim propriè *eſt tendere extra ſe*, nullus ergo actus intellectus propriè dicitur *praxis*, quàmvis unus poſſet ab alio dirigi. 2. eſt, *ut ſit actus poſterior intellectione*, propter rationem allatam. Et 3. *ut poſſit regulari conformiter ad dictamen rectæ rationis, ut fiat rectus*.

Suppono denique 1. *Praxim* largè, & impropriè ſumi pro eo omni opere, quod fit à quacunque potentia: & ſic omnis actio intellectus dici poteſt praxis. 2. Magis ſtrictè, & propriè pro omni opere, quod ſubeſt electioni, & poteſtati voluntatis quomodocunque. Et 3. ſtrictiſſimè, & propriiſſimè pro ſola actione libera voluntatis, ad cujus directionem intellectus propriè extenditur, & ex qua homo laudem, aut vituperiū meretur, & hoc ſenſu ſolæ actiones morales ſunt praxes, & ſola ſcientia moralis eſt practica.

CONCLUSIO.

Logica eſt ſcientia abſolutè, & ſimpliciter ſpeculativa ſecundū quid autē, & minùs propriè eſt practica. In hoc conveniunt D. Th. & Scotus [2] cum ſuis.

Pr. 1. pars efficaciter juxta definitionem praxis allatam ex Scoto. Illa ſcientia eſt abſolutè, & ſimpliciter ſpeculativa, quæ abſolutè non eſt directiva praxis, ſed

[1] *L. 3. de an. c. 20. Comm. 50. D. Th. q. 14. de Verit.*
[2] *Scotus 6. Metaph. q. 1. n. 14.*

ſed Logica abſolutè non eſt directiva praxis, ergo eſt abſolutè, & ſimpliciter ſpeculativa. Prob. min. Logica ex ſe, & abſolutè non dirigit, niſi operationes intellectus, ſed operationes intellectus non ſunt propriè praxis, quia non ſunt actus alterius potentiæ, quàm intellectus, ergo, &c. Do verba Scoti: [1] *Stando præcisè in actibus intellectus, nulla eſt praxis, quia nulla eſt extenſio intellectus, quia non extrà ſe extendit, niſi ut actus ejus reſpicit actus alterius potentiæ. Et ſi dicas unum actum intellectus extendi ad alium directum per illum, non propter hoc ſecundus eſt praxis, ut modò loquimur, nec primus eſt cognitio practica, quia tunc Logica eſſet practica, quia dirigit in actibus diſcurrendi.*

Confirm. ex eodem, [2] quia, licèt operationes intellectus ſint utcunque dirigibiles, tamen non ſunt propriè dirigibiles in ordine ad opus, ſed ad veritatem, ſed operationes dirigibiles ad veritatem præcisè, & ex ſe non ſunt vera praxis, id enim ſolum ſpectat ad operationes dirigibiles in ordine ad opus, ergo Logica reſpectu illius directionis non poteſt dici practica, ergo eſt abſolutè ſpeculativa. Quærit enim unicè verum, quod ſpectat ad intellectum, non autem bonum (ſaltem per ſe) quod ſpectat ad voluntatem.

Confirm. 2. quia totus, & unicus finis Logicæ eſt cognitio veritatis, ergo eſt de ſe ſimpliciter ſpeculativa. Patet conſeq. nam ex omnium conſenſu, ſcientia dicitur ſpeculativa, quæ ſiſtit in cognitione veritatis. Conſtat enim ex Philoſopho, & D. Thoma, quòd *ſpeculativus, & practicus differunt fine, ſpeculativus enim habet pro fine veritatem, quam conſiderat, practicus autem veritatem conſideratam ordinat in operationem, tanquam in finem*, & Ariſtoteles docet, quòd *ſpeculativæ*, ſeu *theoricæ finis eſt veritas, practicæ autem opus*, ergo, &c.

Prob. 2. pars, quia, ut dicebamus, praxis latè, & impropriè dici ſolet omnis operatio, quæ eſt capax erroris, aut rectitudinis, à quacunque potentia eliciatur, & hoc ſenſu operationes intellectus ſunt capaces erroris, & dirigibilitatis, at Logica tradit regulas ad dirigendas hujuſmodi operationes, ergo hoc ſenſu

[1] *q. cit. prol.* [2] *lib. 1. metaphyſ. c. 2. n. 6.*

ſenſu dici poteſt ſcientia practica. Confirm. ex Scoto, [1] *poſſet dici, quòd Logica eſt practica, quia non eſt tantùm propter ſcire proprium, ſed propter ſcire directivum in aliquo actu... Logica dici poſſet prima practica, extendendo nomen*, ideſt, largè ſumpto nomine praxis, & practicè, ergo, &c.

Objicies 1. Illa ſcientia eſt ſimpliciter practica, quæ ordinatur ad praxim, ſed Logica ordinatur ad praxim, ergo eſt practica. Prob. min. Scientia, quæ ex natura ſua aptat inſtrumenta ſciendi, ordinatur ad praxim, ſed hoc facit Logica, ergo ordinatur ad praxim, ſeu ad opus.

Reſp. diſt. major. Si opus, quod dicitur praxis, ſit opus alterius potentiæ, quàm intellectus, conc. major. ſi ſit operatio ſolius intellectus, neg. major. Sed Logica ordinatur ad praxim impropriè, & quæ eſt opus ſolius intellectus, conc. min. ad praxim propriè, neg. min. & conſeq. Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum argumentum.

Inſtabis. Aliqui actus intellectus poſſunt habere rationem veræ praxis, ergo nulla ſolutio. Prob. ant. Actus fidei imperatus à voluntate eſt verè praxis, ſed ille actus fidei eſt actus intellectus, ergo aliqui actus intellectus poſsũt habere rationem veræ praxis.

Reſp. diſt. ant. Poſſunt habere rationem praxis impropriè, & latè, conc. ant. ſtrictè, & propriè, nego antec. & conſeq. Idem dico ad majorem ſecundi argumenti. Actus enim fidei in ſe non eſt praxis propriè, ſed actus voluntatis, quo illum imperat, & actus intellectus dirigens, & dictans illud imperium eſt verè practicus primariò per ſe.

Objicies 2. Auctoritatem Ariſtotelis, qui non meminit Logicæ inter ſcientias ſpeculativas, ergo, &c.

Sed jam reſponſum eſt, quòd ibi numeravit ſcientias ſpeculativas reales, ideſt, quæ habent ſua objecta extra intellectum, & hoc non habet Logica, ideò nego conſeq.

Objicies 3. Scientiæ ſpeculativæ ſunt tantùm appetibiles propter ſe, ſed Logica non eſt appetibilis propter ſe, ſed propter alias acquirendas, ergo non eſt ſpeculativa.

Reſp. neg. min. Eſt quidem utilis, aut etiam neceſ-
ſaria,

[1] 1. *metaphyſ. cap. 2. n. 6.*

ſaria, & appetibilis ad alias acquirendas, ſed non deſinit eſſe appetibilis propter ſe, & maximè propter veritatem, non propter opus, ut patet ex dictis.

Inſt. Dicitur ſcientia communis, ſed illa communitas deſignat illam ideò quæri, quia inſervit pro aliis, ergo non appetitur propter ſe.

Reſp.diſt.major. Dicitur communis materialiter, & extrinſecè, quia ejus regulæ applicantur materiæ aliarum ſcientiarum, conc.maj. formaliter, & intrinſecè, quaſi verò non habeat propriam materiam, & objectum, circa quod verſetur, neg. major. min. & conſeq. Dicitur ergo communis, non quòd non ſit habitus in ſe formaliter, & intrinſecè diſtinctus ab aliis, ſed qu'a ſyllogiſmus v. g. quem conſiderat, inſervit aliis ad conſideranda illarum objecta, & hoc eſt illi extrinſecum, & accidentale, ut mox dicemus.

QUÆSTIO VI.

An Logica ſit ſcientia communis, & una.

LOgicam vocat Cicero, [1] *artium maximam, atque omnium lucem*, quia, ut alibi dicebat, per omnes partes ſapientiæ manat, & diffunditur. Ideòque aliquo ſenſu dici poteſt ſcientia communis. Sed, ut videas, quo ſenſu, quæritur propterea hic primò, an Logica ſit ſcientia diſtincta ab aliis, an verò communis omnibus, atque indiſtincta, tum videbimus, an illa ſit una in ſe, an verò multiplex.

Pro prima parte quæſtionis nota primò ex Doctore, [2] ſcientiam vocari communem primò *Communitate prædicationis*, quia ejus objectum eſt commune, & prædicabile de objectis aliarum ſcientiarum. Hoc modo Metaphyſica poſſet dici communis, quia *Ens*, quod eſt ejus objectum, prædicatur de objectis omnium aliarum, nam de ſyllogiſmo dicitur, quòd ſit *Ens*. Secundò *Communitate applicationis*, quia ſcilicet ejus objectum communicatur aliis ſcientiis, & earum uſui inſervit.

Nota 2. pro ſecunda parte, multiplicem eſſe unitatem, & pluralitatem. Et ideò Logica poteſt dici una, primò

[1] *lib.de clar.orat.lib.4.Tuſc.47.*
[2] *q.2.univerſ. & q.1.elench.& 1.poſter.q.43.*

primò *entitate intrinſeca*, ſcilicet entitate, quæ eſt in ſe indiviſa, & ſimplex qualitas realiter ab objecto diſtincta; ſecundò *unitate extrinſeca*, quæ petitur ab unitate objecti, quod qualiter eſt unum, taliter ſcientia, quæ circa illud verſatur, erit una.

Nota 3. unitatem objecti eſſe vel *genericam*, qua plura conveniunt in uno genere proximo, ut homo, & brutum conveniunt in animalitate, vel *ſpecificam*, qua conveniunt in natura ſpecifica, ut Petrus, & Paulus, qui conveniunt in humanitate, vel 3. *numericam*, qua conveniunt individualiter, ſic, ut non faciant numerum, v. gr. animal, & rationale in Petro. Et hinc habes, quid ſint pluralitates, ſeu diſtinctiones, *numerica*, *ſpecifica*, & *generica*. Unde Logica erit una *genere*, ſi objectum ejus ſit unum *genere*, & ſic unitate *ſpecifica*, ſi objectum ſit unum *ſpecie*, & *numerica*, ſi reperiatur in uno ſubjecto. De hac tertia unitate non eſt difficultas. Certum enim eſt tot eſſe numero Logicas, quot ſunt numero Logici, ſeu homines habentes Logicam, nec hìc immorandum eſt.

Nota 4. ex dicendis, duplex eſſe objectum cujuslibet ſcientiæ, ſcilicet *materiale*, & *formale*. Illud eſt res, quæ conſideratur in ſcientia, ut corpus in Phyſica, iſtud eſt ratio, ſecundùm quam illud conſideratur, ut *naturalitas* in eadem phyſica. Porrò unitas, vel diſtinctio ſcientiarum non tam petitur ab objecto materiali, quàm à formali. Nam duæ diverſæ ſcientiæ, aut facultates poſſunt conſiderare idem objectum materiale, v.g. corpus conſideratur à Phyſica, & Medicina, ſed illa conſiderat corpus ut *naturale*, iſta verò illud idem conſiderat ut *ſanabile*, & ideò Phyſica, & Medicina ſunt duæ ſcientiæ ſpecie differentes, licèt habeant idem objectum materiale, & differunt ſolùm in objecto formali.

CONCLUSIO I.

Logica eſt ſcientia ab aliis ſpecie diverſa, non verò communis, niſi communitate applicationis. Eſt Doctoris, [1] qui docet ex profeſſo Logicam non eſſe communẽ *cõmunitate prædicationis, ſed applicationis.* Pro-

[1] *qu.2.univer.n.2.*

Prob. 1. pars. Habitus diſtinguuntur per actus, & actus per objecta, ſed objectum formale Logicæ eſt diſtinctum ab objectis aliarum ſcientiarum, & quidem ſpecie, ergo & habitus Logicæ. Major ſupponitur certiſſima ex Ariſtotele, [1] minor etiam patebit ex dicendis de objecto Logicæ.

Prob. 2. quia Logica dicitur neceſſaria, aut ſaltem utilis ad alias ſcientias acquirendas, ergo ab illis diſtinguitur. Nihil enim dicitur ſibi ipſi neceſſarium.

Prob. 2. pars. Certum eſt enim, quòd ſyllogiſmus, qui eſt objectum Logicæ, applicatur, & inſervit omnibus aliis ſcientiis, & circa earum objecta, ergo illis omnibus eſt cōmunis ea communitate. Item certum eſt id eſſe commune omnibus aliis ſcientiis, ut pariantur per diſcurſum ſyllogiſticum, ergo diſcurſus ſyllogiſticus inſervit, & applicatur omnibus ſcientiis. Confirmatur ex Ariſtotele [2] dicente, quòd Dialectica, cùm ſit inquiſitiva, *ad omnium methodorum principia viam parat.* Denique nulla eſt ſcientia, quæ non definiat, dividat, & argumentetur, ſeu demonſtret in propria materia, ergo nulla eſt, quæ non includat Logicam, & in hoc conveniunt omnes ſcientiæ cum Logica, quòd ſunt ratiocinatrices, ergo in hoc genere communicant.

Objicies contra primam partem ex Platone, [3] qui dicit Logicam eſſe omnium ſcientiarum finem, & ex Ariſtotele dicente, Logicam non habere certam materiam, ſed *ad omnium methodorum principia viam aperire*, ideſt de omnibus diſſerere, ergo reſpicit res omnes, & per conſequens objecta omnium aliarum, ergo non eſt diſtincta ab aliis. Nam ſcientiæ diſtinguuntur per objecta.

Reſpondeo ad Platonem, & Ariſtotelem, quòd Dialecticæ nomen apud Philoſophos latiſſimè uſurpatur pro omni ſcientia, quia omnes ſcientiæ per diſcurſum veritatem inquirunt, & hoc habent pro fine. Nos de Logica loquimur ſtrictè, & in proprio ſenſu. Ad ſecundum locum Ariſtotelis reſpondeo, eum loqui de Logica utente, & ſecundùm applicationem, & in hoc convenimus eam eſſe communem. Negamus etiam illam habere res omnes pro objecto, ſaltem formali, imò neque pro materia proxima, ut brevi dicemus.

[1] *2. de anima T. 33.* [2] *2. Top. 2.* [3] *l. 7. de rep.*

mus. Denique falſum eſt unitatem, vel diſtinctionem ſcientiæ peti ab objecto materiali, ut diximus.

Objicies 2. Nulla ſcientia poteſt aſſentiri ſuæ concluſioni ſine Dialectica, ergo omnes ſcientiæ ſunt una ſcientia cum Dialectica. Patet antec. quia aſſenſus concluſionis naſcitur ex vi formæ ſyllogiſticæ, quæ vis venit à Dialectica. Patet etiam conſeq. quia aſſenſus ille eſt unus actus indiviſus.

Reſp. diſt. conſeq. Cum Logica utente, & quantùm ad applicationem, & uſum in illis caſibus, conc. conſeq. cum Logica docente, & quoad ſe, neg. conſeq. Nam Logica docens, & ſecundùm ſe, habet demonſtrationes, & concluſiones in propria materia, & circa proprium objectum, & tunc eſt ſcientia ab aliis diſtincta, quod ſufficit. Dixi etiam *in his caſibus*, quia in demonſtrationibus, & aſſenſu concluſionum ſuarum in propria materia, etiam eſt utens, & quoad illam applicationem diſtinguitur ab aliis.

Objicies cont. 2. part. Metaphyſica eſt ſcientia communis, ergo Logica non eſt communis, nec enim duæ ſcientiæ poſſunt eſſe communes, ut patet.

Reſp. diſt. antec. Metaphyſica eſt communis communitate prædicationis, ſeu objecti, quod eſt *Ens*, conc. antec. communitate applicationis, ut Logica, neg. antec. & conſeq. & ad rationem fateor, non dari duas ſcientias communes eadem communitate, & tales non ſunt Metaphyſica, & Logica.

CONCLUSIO II.

L*Ogica non eſt una unitate entitativa intrinſeca, ſed extrinſeca*. Colligitur ex Doctore [1] dicente, quòd *multorum habituum ſpecie differentium poteſt eſſe aliquod objectum commune*, &c. Senſus ergo concluſionis eſt, Logicam non eſſe unicam, & ſimplicem qualitatem, & habitum, ſed unum totalem habitum coaleſcentem ex tot qualitatibus, & habitibus partialibus, quot ſunt partes, & concluſiones Logicæ, ſed ſub unitate extrinſeca hujus objecti totalis formalis. Hoc poſito

Prob. quoad primam partem. Habitus ſpecificantur

[1] *qu. 3. prolog. qu. 2. Latr. ſub D. ad 2. V. intr. diſp. 17. qu. 4. concl. 4.*

tur per actus, à quibus generantur, ſed actus Logicæ non ſunt omnes ejuſdem ſpeciei, ſed plures ſunt diverſæ ſpeciei, ergo & habitus partiales ab his actibus generati. Major eſt ab omnibus recepta. Prob. min. Actus, qui verſantur circa definitionem, verbi gratia, aut diviſionem, non ſunt ſimiles illis, qui verſantur circa argumentationem, actus, qui verſantur circa ſyllogiſmos in *Barbara*, non ſunt ſimiles, & non dant præcisè facilitatem ad ſyllogiſmos in *Cæſare*, nec in *Felapton*, ergo non generant ſimiles habitus. Conſeq. eſt certa. Nam eſt ab omnibus receptum axioma, quòd habitus eſt facilitas ad actus ſimiles iis, à quibus eſt productus.

Prob. 2. pars. Unitas extrinſeca ſcientiæ petitur ab objecto formali ejus, ſed objectum formale Logicæ eſt unum unitate ſaltem generica, ergo & Logica erit ſic una. Prob. min. Objectum totale Logicæ eſt ſyllogiſmus, aut modus ſciendi, ut ſic, ut videbimus, ſed utrunque habet unitatem ſaltem genericam, ergo objectum Logicæ eſt unum unitate ſaltem generica.

Objicies 1. Logica eſt una ſcientia, ergo & unus habitus. Prob. conſeq. Nam habitus, & ſcientia ſunt idem.

Reſp. diſt. antec. Eſt una ſcientia unitate totali, & generica, conc. antec. unitate ſpecifica, & indiviſibili in plures ſcientias partiales ſpecie diverſas, neg. antec. & conſeq. quod patet ex concluſionis probatione.

Inſt. Juſtitia, v. gr. eſt una virtus, quia eſt unus habitus, ergo ita eſt de Logica. Conſeq. prob. quia non minùs illa virtus habet diverſos actus circa diverſa objecta, quàm Logica, ergo, &c.

Reſp. Juſtitiam, & alias virtutes acquiſitas eſſe unum habitum, & unam virtutem eodem ſenſu, quo dicimus de Logica, ſcilicet unitate generica, propter eandem rationem. Nam quoties eliciuntur diverſi actus circa diverſa objecta, in quibus vincendæ ſunt diverſæ difficultates, generantur diverſi habitus partiales. Dico *Acquiſitas*, nam de *Infuſis* alia eſt ratio, quia habitus infuſi ſe habent ut potentiæ, & non limitantur ad actus pro diverſitate objectorum, ſicut acquiſiti, qui ab illis actibus pendent, quia ab eis producuntur. In forma diſt. antec. eſt una genericè, conc.

conc. ſpecificè neg. anteced. & conſeq.

Objicies 2. Etiam habitus naturalis poteſt facilitare ad diverſos actus, ver. gr. fides acquiſita facilitans me ad credendum dictis Petri, facilitat me ad ejus dicta diverſiſſima, ergo idem habitus virtutis, aut ſcientiæ ſufficit pro diverſis actibus.

Reſp.neg. antec. Nam poſſum facilitari ad credendum aliquibus dictis Petri, & non aliis. Unde argumentum probat contra adverſarios. Præterea, ſi ſemel admitterem per unum habitum, quòd Petrus eſt verax in omnibus ſuis dictis, inde ſequeretur per conſequentiam neceſſariam eum eſſe veracem, & me credere debere ſingulis ejus dictis quantumcunque diverſis, ſed non ita eſt in ſcientiis. Nam non datur unicum, & idem principium, ex quo ſequantur per conſequentiam neceſſariam omnes concluſiones, & ſic requiruntur diverſi habitus inclinantes ad earum aſſenſum, qui ſunt diverſa principia. Diverſa enim eſt difficultas in definitione, & diverſa in diviſione, & in terminis ſimplicibus, & in argumentatione.

Objicies 3. Unica potentia ſufficit pro diverſiſſimis actibus circa diverſa objecta, v. g. eadem facultas viſiva pro viſione diverſorum colorum, ergo & unus ſimplex habitus pro diverſis actibus, & objectis.

Reſp. neg. conſeq. Quia potentia non pendet ab actibus, non generatur ab illis, continet virtualiter illos, eſt indifferens ad plures: at non ita eſt de habitibus acquiſitis, qui acquiruntur per actus, & ab eis dependent. De hac quæſtione iterùm redibit ſermo infra, cùm de ſcientia dicemus.

QUÆSTIO VII.

De neceſſitate Logicæ.

Inter elogia Logicæ illud præcipuum, quòd ſit janua, & apex ſcientiarum, quia ſcil. neceſſaria eſt ad illas acquirendas, ſaltem faciliùs, & perfectiùs. Et ut id clariùs conſtet,

Nota 1. Aliquid neceſſarium eſt vel abſolutè, & ſimpliciter, quando aliter omninò ſe habere non poteſt, nec habet principium eſſendi, & ſic Deus ſolus eſt abſolutè neceſſarius, vel ex *ſuppoſitione*, ſeu *hypotheſi*,

theſi, ut ſi aliquam conditionem ſuppoſueris, aliter quidem res ſe habere non poteſt, benè verò ſublata conditione, v. gr. ſi vitam conſervare velis animali, alimentum illi neceſſarium eſt, ſublata verò illa conditione, non poteſt dici neceſſarium magis, quàm vita.

Rurſus neceſſarium ex *hypotheſi* adhuc duplex eſt. 1. *neceſſarium abſolutè*, *& ſimpliciter*, quando finis abſque tali medio non poteſt haberi ullo modo, ſic oculus eſt neceſſarius ad videndum. 2. *neceſſarium ſecundùm quid*, *ſeu ad meliùs eſſe*, quando ſcil. ſine tali medio, quod dicitur neceſſarium, finis quidem haberi poteſt, ſed non ita facilè, nec tam perfectè. Sic cogitanti Romam, neceſſarius eſt equus, quia poſſet quidem ire pedeſter, ſed non adeò commodè, nec promptè.

Nota 3. Scientiam poſſe conſiderari vel in *ſtatu perfecto*, quando ſcil. nihil in ea deſiderari poteſt, quo perficiatur, vel in *ſtatu imperfecto*, quando ſcil. quis tenet quidem principia, & concluſiones Logicæ, ita tamen confusè, ut ſemper ſit aliqualiter dubius, & incertus de illarum veritate.

Nota 4. Hanc quæſtionem procedere de Logica *artificiali*, non de *naturali*. Certum eſt enim hanc eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariam ad omnes ſcientias acquirendas. Quomodò enim poſſet acquiri ulla ſcientia ſine intellectu, & vi cognoſcitiva, ac diſcurſiva? His ſuppoſitis, quæritur, qua neceſſitate Logica artificialis ſit neceſſaria ad alias ſcientias.

CONCLUSIO.

L*Ogica artificialis eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto acquirendas*. Eſt conformis principiis Doctoris, [1] quatenus docet *omnes ſcientias uti ſyllogiſmo, & aliis, de quibus eſt Logica*, & eſt communior inter Scotiſtas, & alios.

Prob. concl. Nulla ſcientia poteſt eſſe perfecta, niſi ſit certa de ſuis concluſionibus, ſeu niſi ſciat ſe ſcire, ſed nulla ſcientia poteſt ſc .e ſe ſcire ſine Logica artificiali, ergo nulla ſcientia poteſt eſſe perfecta ſine Logi-

[1] *qu.2.univerſal.*

Logica artificiali, ergo hæc eſt neceſſaria ſimpliciter, & abſolutè, &c. Major eſt evidens. Scientia enim in ſtatu perfecto excludit omnem omninò dubitationem, & propterea debet ſcire ſe ſcire. Prob.min. Qui neſcit regulas bonæ demonſtrationis, & ſe habere demonſtrationem potiùs, quàm ſophiſma, neſcit ſe ſcire, ſed ſine Logica artificiali hoc ſciri non poteſt, ergo ſine Logica artificiali nullus poteſt ſcire ſe ſcire. Major etiam clara eſt, nam qui neſcit veram ſe habere demonſtrationem, non eſt certus de bonitate ſuæ concluſionis, & experientia docet, quòd nobis ſæpius objiciuntur ſophiſmata, quæ prima fronte videntur boni ſyllogiſmi. Prob. min. Qui neſcit regulas bonæ demonſtrationis, neſcit ſe habere bonam demonſtrationem, ſed ſine Logica artificiali homo neſcit ſe habere illas, ergo, &c.

Objicies 1. Intellectus vi ſua poteſt totum, quod poteſt Logica artificialis, ergo hæc non eſt neceſſaria. Prob.antec. Intellectus vi ſua naturali poteſt reflectere ſuos actus, & videre, an ſint recti, ſed id tantùm præſtat Logica artificialis, ergo.

Reſp. neg. antec. & diſt. maj. probationis, poteſt reflectere, & videre imperfectè, & majori cum labore, conc.maj. perfectè, & promptè, neg. maj. Et diſt. pariter min. Logica artificialis nihil aliud præſtat, quàm ut intellectus reflectat, an actus ſui ſint recti, & videat perfectè, & promptè, conc.min. videat imperfectè, & cum difficultate, neg.min. & conſequen. Nunquam enim intellectus perfectè certus erit de bonitate concluſionis ſine regulis, & Logica artificiali.

Inſt. Opera naturæ ſunt perfectiora operibus artis, (ex Philoſopho) ergo diſcurſus, definitiones, diviſiones dictatæ à ſola Logica naturali ſunt perfectiores, quàm quæ à Logica artificiali.

Reſp. diſt. antec. Opera naturæ, quæ procedunt à principio neceſſario, & ſic determinato ad ſuos effectus, ut non poſſit à perfectione deviare, conc.antec. à principio non ſic determinato, ſed indifferenti ad benè, aut malè agendum, ſeu quod poteſt aberrare à ſcopo, neg.antec. Talis autem eſt intellectus, qui in diſcurrendo poteſt aberrare à recto diſcurſu.

Objicies 2. Logica artificialis non eſt neceſſaria ad ſe ipſam, ergo nec ad alias. Patet conſeq. Nam cùm Logi-

Logica ſit ſcientia æquè,ac aliæ,debet tàm eſſe certa, quàm aliæ , ideò indiget iiſdem regulis . Prob. ant. Si eſſet ſibi ipſi neceſſaria, eſſet prior, & poſterior ſe ipſa , abſurdum conſeq. ergò & antec.

Reſp. 1. diſt.antec. Logica imperfecta eſſet neceſſaria ad ſe ipſam perfectam, conc.antec. perfecta ad perfectam, neg.ant.Et diſt.maj.probationis. Eſſet prior, & poſterior ſub diverſo reſpectu, conc. maj. & neg. min. ſub eodem reſpectu neg. maj. & conſeq. Logica imperfecta eſt vel naturalis , vel cognitio rudis regularum boni ſyllogiſmi , ver. grat. cujus Logicæ adminiculo potuere homines cum labore , & longa meditatione perfectam cognitionem artificii ſyllogiſtici acquirere , qua acquiſita ſemel ab uno , alii facilè didicerunt.

Reſp.2.diſt.idem antec. Eſſet neceſſaria ſecundùm unam partem ad ſe ipſam ſecundùm aliam , conc.antec. ſecundùm eandem partem , vel tota ad ſe ipſam totam, neg. antec. Et ſimiliter diſt.maj. probationis, & neg.min. Nec enim abſurdum eſt Logicam eſſe priorem , & poſteriorem ſe ipſa ſecundùm diverſos reſpectus , & partes , Logica igitur fuit primò acquiſita ſecundùm eam partem , quæ erat acquiſitu facilior, & per hanc facilitata eſt acquiſitio partis poſterioris , atque difficilioris . Ver. grat. diviſio primùm fuit acquiſita , hæc juvit ad definitionem aſſequendam , & hæc utraque ad ſyllogiſmum . In his ergo nulla eſt abſurditas , vel repugnantia.

Inſt. Non eſt potior ratio , cur una pars acquiſita fuerit per Logicam naturalem,& imperfectam, quàm alia , ergo vel nulla, vel tota ſimul debuit acquiri.

Reſp.neg.antec. Quia evidens eſt , & patet experientia , quòd in aliqua parte minùs eſt artificii, & per conſequens difficultatis , quàm in alia.

Inſt. 2. Si Logica artificialis tota , & perfecta potuit acquiri per aliam partem ſui , aut per ſe ipſam imperfectam , ita & quælibet alia ſcientia , ergo Logica non eſt ad alias neceſſaria.

Reſp.neg.antec. Et diſparitas eſt , quia licèt cognitio unius partis objecti cujuslibet ſcientiæ juvet ad cognitionem alterius partis ejuſdem objecti , ver. gr. cognitio materiæ in Phyſica juvat ad cognitionem formæ , ſed una non poteſt eſſe inſtrumentum , nec

modus

modus inveniendæ definitionis, aut conſequentiæ, & de illis judicandi cum certitudine ſine regulis, quæ regulæ non ſunt de illius objecto.

Inſt.3. Nemo dat, quod non habet, ſed una pars Logicæ non habet cognitionem, nec regulas alterius partis, ergo eam non poteſt dare.

Reſp. diſt. min. Logica imperfecta, aut partialis non habet perfectiorem Logicam, ut cauſa totalis,& adæquata,conc.min. ut cauſa partialis, & inadæquata, nego min. & conſeq. Logica igitur imperfecta, aut partialis non cauſat cognitionem Logicæ perfectæ, & totalis, velut cauſa totalis, & adæquata, ſed partialiter, quatenùs ejus adminiculo poſt longum laborem, ac ſtudium, & ſpeculationes attentiſſimas, tandem modum detegit acutus intellectus, quo abſque erroris periculo poſſit deinceps definire, dividere, & argumentari.

Objicies 3. Logica eſt poſterior aliis ſcientiis, ergo non eſt neceſſaria ad illas.

Reſp. diſt. antec. poſterior dignitate, conc. plures enim aliæ ſunt digniores, poſterior generatione, ſeu cauſalitate, aut acquiſitione, neg.antec. & conſeq.

Inſt. Non poterit acquiri Logica, niſi per reflexionem ſuper actus rectos aliarum ſcientiarum, ergo non potuit acquiri, niſi poſt alias. Prob. antec. quia non potuit acquiri, niſi inter diſcurrendum de rebus variis, quæ ſpectant ad alias ſcientias, ergo, &c.

Reſp.diſt.anteced. Super actus rectos, & imperfectè ſcientificos aliarum ſcientiarum, conc. anteced. ſuper actus rectos, & perfectè ſcientificos, neg.antec.& conſeq. Non negamus, quin Logica parta ſit, diſcurrendo in variis materiis, quæ pertinent ad alias ſcientias, quàmvis etiam poſſit fieri in proprio objecto, ver. gr. circa modos diſcurrendi abſque applicatione ad ullam materiam particularem, ſed illi actus directi, ſuper quibus reflectebatur, non erant perfectè ſcientifici, nec potuerunt eſſe, donec acquiſita fuit ſcientia Logices, poſtquam judicatur cum certitudine ſcientifica de bonitate concluſionum.

QUÆSTIO VIII.

De cauſis extrinſecis Logicæ, ſeu de ejus origine, & fine.

POſtquam vidimus exiſtentiam, quidditatem, & qualitates intrinſecas Logicæ, videndum de cauſis extrinſecis ejus, quales ſunt, efficiens, & finalis, ſeu de illius origine, inventione, aut reparatione, & fine. Porrò impium eſſet cauſam, & originem Logicæ naturalis aliunde petere, quàm à Deo, qui homini dedit intellectum, & rationis lumen, quo naturaliter, & abſque ſtudio ratiocinamur, & verum à falſo diſcernimus. Et quidem perfectior fuerat à Deo infuſa protoparenti Adamo. Decuit enim primum hominem illum eſſe ab initio perfectiſſimum, & propterea non debuit illi deeſſe hæc facultas perfectè ratiocinandi (de quo nullus dubitat) & ab eo in poſteros transfundenda, ſeu propaganda. Sed partim ex peccato, quo habitus illi infuſi obliterati ſunt, & debilitatę potentiæ, ac facultates, partim ex incuria ſucceſſorum ejus corruerat illa Dialectica, donec ab aliquot ſapientioribus, ac ſolertioribus viris reſtaurata fuit.

Illud verò ita contigit. Cùm priſci homines illi definirent, dividerent, & argumentarentur, cognoverunt ſe aliquando benè definire, dividere, & argumentari, aliquando verò malè, & aberrare: hinc nata admiratio, quæ ſtudium inquirendæ cauſæ movit, cur modò benè, modò malè id fieret, cauſas detexerunt, & tandem judicarunt ſe tunc legitimas definitiones conficere (idem eſt de aliis partibus) quoties proprium, & immediatum genus unà cum propria rei differentia aſſumerent, malas verò, cùm ſecùs agerent: tandemque hanc regulam generalem (idem eſt de aliis) ſtatuerunt, *bona definitio debet conſtare proprio, & immediato genere, & propria differentia*, & ita veram ſcientiam definiendi compararunt.

Fuit ergo comparata per actus reflexos intellectus: nec enim ſtatim atq; definitio aliqua bona facta eſt, potuit de illa haberi ſcientia, ſed poſt actus hujuſmodi multoties repetitos, eoſque ſeriò examinatos, leges generales, quibus ſemper ita fieri poſſet, detexerunt

Philoſophi, & ſcientiam acquiſierunt.

Hinc ſequitur Logicam artificialem, de qua hìc loquimur, opus quoddam eſſe Philoſophiæ, quia in materia aliarum partium Philoſophiæ diſcurrebant, & experientias illas examinabant primi illi Philoſophi. Priùs ſiquidem debuerunt aliqua rerum cognitione præditi fuiſſe, quàm de ratio ne, & methodo philoſophandi artem Logicam, quæ aliis opem ferret, compoſuerint. Unde dicendum videtur, quòd Logica naturalis prima eſt omnium partium Philoſophiæ, & per eam cœperunt homines philoſophari de corpore naturali, verbi gratia de Cœlo, de Deo, &c. tùm ſequuta eſt Logicæ artificialis ſcientia, eo modo, quo jam dicebamus, & denique habita hac ſcientia in ſua perfectione, habitæ quòque ſunt aliæ perfectæ.

Quantùm verò ad inventores, & reparatores hujus ſcientiæ non convenit inter authores. Aliqui eam laudem Zenoni Stoico adſcripſerunt, alii Platoni, Ariſtoteles ipſe de illius inventione ſibi gratulatur, & meritò. Certum enim eſt, quòd licèt ante ipſum aliquot haberentur Logices regulæ, & partes, tam quæ poſt primum parentem integræ manſerant, vel ſaltem non integræ, fuerunt extinctæ, quàm quæ à Zenone, & Platone, & aliis fuerunt reſtauratæ, ipſe tamen Ariſtoteles meritò ejus reparator habendus eſt, tum quia longè plura ipſius dogmata, quæ latebant, detexit pro ſingulari ſui ingenii acumine, tum quia, quæ ab aliis ſparſim, & inordinatè fuerant digeſta, in faciliorem diſpoſuit ordinem, unamque ex illis ſcientiam, quam Logicam dicimus, compoſuit. Et hæc ſufficiant hiſtoricè dicta quoad primam partem quæſiti.

Quantum verò ad finem Logicæ, ſuppono primò, finem cujuſque rei eſſe illud bonum, pro cujus acquiſitione operatur. Et duplex eſt, finis *cujus*, & finis *cui*: prior eſt ille, propter cujus aſſecutionem homo agit, poſterior eſt ille, cui agens vult finem *cujus*. Verbi gratia finis *cujus* medicinæ eſt ſanitas, finis *cui* eſt æger. Rurſus finis, *cujus* gratia fit aliquid, alius eſt *intrinſecus*, ſeu finis *operis*, alius *extrinſecus*, ſeu finis *operantis*: primus eſt ille, ad quem ex ſe operatio tendit; ſecundus verò, ad quem operatio

tio non tendit ex natura ſua, ſed ex intentione operantis, ut ſi quis ſtuderet Logicæ propter lucrum, iſtud lucrum eſſet finis *extrinſecus*, ſeu *operantis*, non verò *operis*. Tertiò finis alius eſt *ultimus*, alius *non ultimus*. Primus eſt, ad quem omnia referuntur, ipſe verò non eſt ulteriùs referibilis, ſed in eo quieſcit agens: ſecundus eſt referibilis ad aliquem ulteriorem. Sic Deus eſt finis ultimus humanarum operationum, reliqua verò omnia bona ſunt fines non ultimi, quia ſunt referibiles ad Deum. Quartò dividitur in *formalem*, & *objectivum*: *formalis* eſt ipſa poſſeſſio rei, *objectivus* verò eſt res poſſeſſa, quæ eſt velut terminus acquiſitionis, ſeu poſſeſſionis. Denique alius dicitur finis, *qui fit*, & alius, *qui obtinetur*. Ille eſt, qui producitur per actionem, & intenditur, ut producendus per illam, iſte verò ſupponitur productus, & intenditur, ut obtinendus.

Notandum prætereà, quòd finis ſcientiarum omnium eſt veritas. In id enim tendunt omnes. Sed nō eſt eodem modo finis. Nam ſcientiæ ſpeculativæ, ſeu contemplativæ in ea veritatis aſſecutione conquieſcunt, & ideò earum finis ultimus, & adæquatus eſt veritas: non ita eſt de practicis, quæ veritatis cognitionem ordinant ad opus, quod eſt ulterior earum finis. Unde, quia Logica eſt aliquo modo practica, ut diximus, ideò non planè, & purè quieſcit in veritate cognita, ſed ordinat eam cognitionem ad operationem, & exercitium.

CONCLUSIO.

Finis intrinſecus Logicæ eſt ſyllogiſmus perfectus in modo, & figura, extrinſecus verò eſt acquiſitio aliarum ſcientiarum. Eſt conformis Scoto,[1] & colligitur ex iis, quæ dicit de ſubjecto ejus, ſi Maſtrio[2] credimus. Et id verum eſt, ſi finis, & ſubjectum, ſeu objectum pro eodem ſumuntur.

Prob. 1. pars. Illud eſt finis ſcientiæ intrinſecus, ad quod conſequendum ordinantur omnia, quæ tractantur in ſcientia, & quo adepto conquieſcit, ſed omnia, quæ tractantur in Logica, ordinantur ad

[1] *1. prior. qu. 2. q. quantum ad 3.*
[2] *Maſtr. q. proœm. n. 14.*

conſequendum ſyllogiſmum perfectum in modo, & figura, ergo ille eſt finis intrinſecus Logicæ. Major eſt evidens. Prob. min. Quia omnia, quæ tractantur in Logica, ſunt vel termini ſimplices, vel complexi, ſeu propoſitiones, diviſiones, & definitiones, ſed hæc omnia ordinantur ad habendum ſyllogiſmum perfectum in modo, & figura, ergo, &c. Dixi autem perfectum in modo, & figura, ut abſtraherem à perfectione, quæ provenit ex materia, ex qua fit, ut ſyllogiſmus ſit perfectus, ſeu demonſtrativus, vel imperfectus, ſeu probabilis tantùm. Nam in utroque eſt idem artificium, & non differunt, niſi ratione materiæ, quæ eſt in uno evidens, & neceſſaria, in altero inevidens, & contingens, & hoc non pendet à Logica.

Prob. 2. pars. Quia conſecutio aliarum ſcientiarum eſt finis ſcientis, & aliquid ſuperadditum Logicæ ſecundùm ſe conſideratæ. Nec enim illa acquiſitio per ſe reſpicit perfectionem operationum intellectus ſive ſeorſim, ſive conjunctim, & in ordine ad ſyllogiſmum rectum. Quælibet enim ſcientia ordinatur tantùm, & per ſe ad finem proprium, & non egreditur fines proprii objecti, ſed aliæ ſcientiæ, & earum objecta ſunt extra fines objecti Logicæ, ergo earum acquiſitio non eſt niſi finis extrinſecus Logicæ.

Objicies 1. Perfectio ſyllogiſmi eſt etiam finis aliarum ſcientiarum, ergo non eſt finis proprius Logicæ. Prob. ant. quia omnes aliæ ſcientiæ intendunt demonſtrare paſſiones ſui objecti, ergo omnia ordinant ad perfectum ſyllogiſmum.

Reſp. diſt. anteced. Eſt finis aliarum ſcientiarum, quatenùs ſubminiſtrant materiam, & utuntur regulis Logicæ ad ſyllogiſmos conficiendos in ſua materia, conc. anted. utriuſque argumenti, ratione formæ ſyllogiſticæ præciſè, neg. antec. & conſeq. Aliæ ſcientiæ utuntur artificio ſyllogiſtico, & ejus ſcientiam ſupponunt, tanquam commune lumen inſervienseis ad ratiocinandum circa ſuum objectum cuique proprium.

Objicies 2. Syllogiſmus haberi non poteſt perfectus ſine aliis ſcientiis, ergo aliæ ſcientiæ ſunt finis intrinſecus Logicæ. Prob. antec. Non poteſt haberi ſyllogiſmus perfectus ſine veritate in ipſo, ſed non

poteſt

poteſt haberi veritas in ſyllogiſmo ſine aliis ſcientiis, ergo nec ſyllogiſmus perfectus. Prob. min. Veritas reſultat ex rebus, de quibus agunt aliæ ſcientiæ, ergo ſine illis non poteſt haberi veritas in ſyllogiſmo.

Reſp. 1. neg. antec. primi argumenti, & min. 2. & antec. 3. quia, ut jam alibi diximus, Logica definit, dividit, & argumentatur in propria materia, & habet demonſtrationes circa ſyllogiſmum ipſum formaliter.

Reſp. 2. diſt. antec. Non poteſt haberi ſyllogiſmus materialiter quantùm ad objecta, circa quæ applicatur, conc. ant. formaliter, & quantùm ad artificium in figura, & modo, neg. antec. Idem eſt de veritate. Veritas formalis ſyllogiſmi reſultat ex rectitudine formali in debita forma, objectiva verò reſultat ex materia, cui applicatur artificium. Primam illam veritatem habet Logica ex ſe, & aliæ ſcientiæ ab illa, ſecundam habet ab aliis.

QUÆSTIO IX.

De objecto Logicæ.

SOlent Philoſophi nomina *Objecti*, & *Subjecti* uſurpare hìc pro eodem. Sumunt autem *Subjecti* nomen non phyſicè pro parte materiali, in qua recipitur forma ſubſtantialis, vel accidentalis, ut paries reſpectu albedinis, nec logicè pro illo termino, de quo aliud enuntiatur, nec moraliter pro homine ſubdito reſpectu domini, aut ſuperioris, ſed ſumitur pro eo, quod objicitur, & conſideratur ab aliqua facultate, vel ſcientia, v.g. color eſt ſubjectum, ſeu objectum facultatis viſivæ, corpus naturale eſt objectum, ſeu ſubjectum Phyſicæ.

Igitur *Subjectum*, ſeu *Objectum* hìc ſumitur pro eo, circa quod verſatur ſcientia, aut quod ab ea conſideratur. Et illud duplex eſt, *materiale*, & *formale*. Objectum *materiale* eſt res, quæ conſideratur à ſcientia præciſè à modo, ſeu ratione, ſub qua conſideratur, unde res illa poteſt conſiderari à pluribus ſcientiis, ut corpus, quod conſideratur à Phyſica, & Medicina, vel etiam à Mathematica. *Formale* verò eſt ratio, ſub qua conſideratur res illa, quæ dici-

tur *objectum materiale*, & per illam ſcientia illa diſtinguitur, ver. grat. *naturalitas* eſt objectum formale Phyſicæ, *ſanabilitas* Medicinæ, & *quantitas* Mathematicæ, quia ſunt rationes, ſub quibus illæ ſcientiæ conſiderant corpus, & per quas inter ſe diſtinguuntur.

Rurſus aliud eſt objectum *complexum*, ſcilicet propoſitio aliqua, quæ conſideratur in ſcientia, ut hæc in Logica, *Syllogiſmus eſt oratio conſtans tribus propoſitionibus*: aliud *incomplexum*, ſcilicet aliquis terminus, ſeu extremum propoſitionis, ut in exemplo allato vox *Syllogiſmus.*

3. Aliud eſt objectum *totale*, & *adæquatum*, ſeu *attributionis*, aliud *partiale*, & *inadæquatum*. 1. eſt, quod complectitur omnia, quæ ſpectantur à ſcientia, & dicitur *adæquatum*, quia non excedit eam, nec exceditur ab ea. *Partiale* eſt pars objecti totalis. Et iſtud adhuc dividitur in *principale*, quod reſpicitur à majori parte ſcientiæ, & *minùs principale*, quod à minori parte.

4. Aliud eſt *proximum*, quod immediatè, & per ſe, ſeu primariò reſpicitur, aliud *remotum*, quod mediatè tantùm, & per aliud, ſeu ſecundariò. Sic litteræ, & voces mediatè reſpiciuntur à Grammatica, orationes verò proximè.

5. Objectum formale aliud dicitur objectum *formale quod*, & eſt aggregatum ex formali, & materiali, aliud *formale quo*, & eſt ratio formalis, ſub qua materiale conſideratur.

Porrò tres, aut quatuor conditiones requiruntur in objecto ſcientiæ. 1. quòd de illo præcognoſcatur in ſcientia, *quid eſt*, ſeu quòd ſcientia, cujus eſt objectum, habeat per ſe, & ex profeſſo, non per accidens, definitionem ejus. Item & præcognoſcatur de eodem, *quia eſt*, ideſt ſciatur, quòd ſit exiſtens, vel poſſibile. Ad hanc reduces eam, qua volunt, ut ſit quid neceſſarium, & certum, & quòd non debeat pertinere ad aliam ſcientiam.

2. Conditio, quòd *habeat paſſiones, ſeu proprietates*, quæ in ſcientia demonſtrentur de illo, & *principia*, per quæ demonſtrentur. Sic de ſyllogiſmo demonſtratur in Logica, quòd conſtet tribus terminis verbi gratia, quòd ſit in modo, & figura, & hoc per ali-

aliquot principia, verbi gratia, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Hæc autem conditio deficeret in Deo, qui eſt objectum Theologiæ, quia Deus non habet principia.

3. Quòd contineat, ſi ſit attributionis, aliquo modo veritates omnes illius ſcientiæ, ſeu quòd ad illud revocentur omnia, quæ in ea tractantur.

Hoc poſito, videndum, quodnam ſit objectum tàm *formale*, quàm *materiale*, tàm *totale*, & *adæquatum*, quàm *inadæquatum* Logicæ. Aliqui, ut Plato, volunt res omnes eſſe objectum totale, alii voces, alii tres mentis operationes, alii ſecundas intentiones, alii entia rationis, alii modum ſciendi, alii ſyllogiſmum, alii demonſtrationem. Viginti numerantur circa hoc ſententiæ. Noſtram perſequentes concluſiones explicamus.

CONCLUSIO I.

R*Es omnes non ſunt objectum Logicæ ſaltem proximum, & formale*. Colligitur ex Doctore[1] dicente, *quòd in Logica conſideratur illud, per quod convenit circa omnia laborare* (nempe ſyllogiſmus) *non tamen propter hoc quodlibet illorum eſt principale objectum illius ſcientiæ*.

Prob. 1. Illud non eſt objectum Logicæ, cujus principia, & proprietates non quærit Logica, ſed Logica non quærit proprietates, nec principia rerum omniũ, ſaltem per ſe, & immediatè, ergo res omnes non ſunt objectum proximum, & formale Logicæ. Major ſupponitur ex definitione, & conditionibus objecti. Min. prob. Si Logica quæreret proprietates, & principia rerum omnium, vel id faceret in communi, & quatenus ſunt entia, vel in particulari, & quatenus ſunt talia entia, ſed neutro modo id facit, ergo non quærit proprietates rerum omnium. Prob. min. Si quæreret proprietates rerum omnium in communi, v. gr. ſub ratione entis, eſſet idem cum Metaphyſica, haberet enim idem objectum materiale, & formale, &, ſi quæreret in particulari, cõfunderetur cum aliis ſcientiis, ſed utrunque eſt falſum, ergo nõ quærit proprietates rerum omnium nec in communi, nec in particulari.

[1] *q. 3. univerſal. n. 6.*

Prob. 1. Quia ſcientia particularis, & determinata debet habere objectum particulare, & determinatum, ſed Logica eſt ſcientia particularis, & determinata, ut patet ex dictis, ergo debet habere objectum particulare, & determinatum, ergo non habet res omnes pro objecto.

Dixi autem, res omnes non eſſe objectum *formale, & proximum*, quia non negarem eas eſſe objectum materiale, ac remotum ejus, quatenus ejus regulæ, diviſiones, definitiones, & ſyllogiſmi applicantur ad diſcurrendum de rebus omnibus. Quod docet Scotus, [1] dicens, quòd *Logica eſt de rebus, quatenus eis attribuuntur intentiones ſecundæ. Remotum*, inquit, non *proximum*, quia iſtud dicitur materia, in quam immediatè introducitur forma, quæ per ſcientiam, vel artem intenditur. Sicut marmor, ver. grat. dicitur materia proxima artis ſtatuariæ, quia in illud immediatè inducitur forma, ſeu figura ſtatuæ. Rectitudo, verbi gratia, aut forma ſyllogiſmi non inducitur immediatè rebus, verbi gratia, corpori, lapidi, marmori, ſed conceptibus formalibus, ergo res omnes non poſſunt dici objectum ejus materiale, niſi remotum.

Objicies 1. Logica agit de prædicamentis, ſed hæc ſunt res omnes, ergo habet res omnes pro objecto immediato.

Reſp. diſt. min. Prædicamenta, prout conſiderantur à Logica, ſunt res omnes affectæ denominationibus extrinſecis petitis à diverſis actibus intellectus, ut ſunt abſtractiones, compoſitiones, diviſiones, & hujuſmodi, & hoc in ordine ad conficiendos ſyllogiſmos in debito modo, & figura, conc. min. ſunt res omnes in ſua natura reali conſideratæ, neg. min. & conſ. Nam inde ſequitur tantùm, quòd res illæ ſint quidem objectum materiale remotum, non proximum, nec formale.

Objicies 2. Logica eſt inſtrumentum ſcientiarum, ſed ſcientiæ ſunt, ut res omnes certò, & evidenter cognoſcantur per ſuas cauſas, & Logica tendit ad cognitionem certam, & evidentem rerum omnium per ſuas cauſas, ergo habet res omnes pro objecto materiali, & proximo.

Reſp.

[1] *qu. 3. prol. ſub. H.*

Reſp. diſt. maj. Logica utens, & ſecundariò eſt inſtrumentum ſcientiarum, conc. maj. Logica docens, per ſe, & primariò, neg. maj. & conſeq. Logica enim docens per ſe, & primariò quærit veritatem, & rectitudinem in operationibus intellectus, ſeu in diſcurſu, & eſt propter ſe, ſecundariò verò habet pro fine extrinſeco, ut inſerviat aliis ſcientiis, ut patet ex dictis.

CONCLUSIO II.

V*Oces non ſunt objectum formale Logicæ*. Eſt Scoti, [1] & aliorum ſatis communiter contra Nominales, & alios. Scotus enim id negat de oratione, ergo à fortiori de vocibus.

Prob. Illud non eſt objectum formale Logicæ, ſine quo poteſt ſtare Logica, ſed Logica poteſt ſtare ſine vocibus, ergo voces non ſunt objectum formale Logicæ. Major eſt certa. Nulla enim ſcientia ſtare poteſt ſine ſuo objecto. Prob. min. Quia mutus, & anima ſeparata poſſunt habere veram Logicam, poſſunt habere ſcientiam rectè dividendi, definiendi, & argumentandi, ſed mutus, & anima ſeparata non utuntur vocibus, ergo, &c.

Objicies 1. Illud eſt objectum ſcientiæ, quod primò, & per ſe conſideratur ab ea, ſed voces primò, & per ſe conſiderātur à Logica, ergo ſunt objectum Logicæ. Prob. min. Definitio, diviſio, & argumentatio primò, & per ſe conſiderantur à Logica, ſed iſtæ ſunt voces, ergo, &c.

Reſp. neg. utranque min. Definitio enim vocalis, v. gr. non eſt magis definitio, quàm homo pictus ſit verus homo. Id igitur ſpectat primariò, & per ſe ad actus internos intellectus, ad definitionem mentalem. Ita eſt de diviſione, & argumentatione. Logica igitur non conſiderat voces, niſi quatenus ſubſtituuntur loco conceptuum.

Objicies 2. Logica dicitur ſcientia ſermocinalis, quia agit de vocibus, ergo voces ſunt objectum Logicæ.

Reſpondeo neg. anteced. Dicitur enim ſermocinalis, quia eſt de diſcurſu, & de verbis mentalibus,

[1] *Scot. ibid. n. 6.*

non verò vocalibus, niſi per accidens.

Inſt. 1. Logica agit de nomine, & verbo, & oratione, ergo de vocibus, nam definiuntur voces ſignificativæ.

Reſp. diſt. ant. Agit de nomine, & verbo, & oratione mentalibus, ſeu de vocalibus in ordine ad conceptus, quorum loco ſubſtituuntur voces, conc. ant. de nomine, & verbo vocalibus, ut vocales ſunt, & per ſe, neg. antec. & conſeq.

Inſt. 2. Nulla ſcientia præter Logicam poteſt judicare, an ſyllogiſmus vocalis ſit rectus, ergo agit per ſe de vocibus. Prob. antec. Id enim non pertinet ad Grammaticam, ergo ad ſolam Logicam.

Reſp. diſt. ant. Ratione formæ ſyllogiſticæ, & in ordine ad conceptus, conc. ant. ratione vocum præcisè, ut vocalis eſt, neg. antec. Grammatica igitur, nec ulla alia ſcientia poteſt judicare de rectitudine ſyllogiſmi formaliter per ordinem ad conceptus, ſed ſi attendas ad conſtructionem, & voces materialiter, hoc ſpectabit ad Grammaticam.

Igitur voces ſunt tantùm de objecto Logicæ per accidens, & ſecundariò, quatenus conceptus non poſſunt ſignificari, ſeu repræſentari exteriùs, niſi per voces, ore, vel ſcriptura exaratas.

CONCLUSIO III.

ENs rationis non eſt objectum formale, & adæquatum Logicæ.

Prob. ratione Scoti, [1] quia ens rationis non habet duas primas conditiones objecti reſpectu Logicæ, ergo non eſt ejus objectum. Prob. ant. Quia Logica per ſe non docet, quid ſit ens rationis, nec ullas proprietates ejus demonſtrat, ſed hæ duæ conditiones primò requiruntur ad rationem objecti alicujus ſcientiæ, ergo ens rationis non habet duas primas conditiones objecti ſcientiæ. Major ſupponitur ex Metaphyſica.

Prob. 2. Quia ens rationis non adæquatur Logicæ, ergo non eſt ejus objectum adæquatum. Prob. antec. Excedit enim Logicam, quia Grammatica, & Rhetorica illud etiam conſiderant, videlicet nominum ſigni-

[1] *ibid. num. 5.*

ſignificationes, declinationes, figuras, tropos, & ſimilia, quæ ſunt entia rationis, ergo, &c.

Objicies. Philoſophus docet Metaphyſicam, & Logicam laborare circa idem objectum, ſcil. circa ens, ſed cum hac differentia, addit Scotus, quòd Metaphyſica agit circa ens reale, & Logica circa ens rationis, & ideò vocatur ſcientia rationalis, ergo ex Ariſtotele, & Scoto ens rationis eſt objectum Logicæ, & quidem totale.

Reſp. Dictum Ariſtotelis eſſe explicandum ab ipſis objicientibus. Nam ſicut Metaphyſica non agit de ſolo ente rationis, & iſtud non eſt objectum ejus, ſaltem totale, ita nec Logica. Et Logica, & Metaphyſica eſſent una ſcientia, quod nullus admittet. Loquitur ergo de ente materialiter, & ſic dici poteſt quidem objectum materiale, ac remotum Logicæ, ſed non objectum proximum, & multò minùs formale. Ad Scotum verò jam diximus ſæpè illum vocare Logicam rationalem, & illam verſari circa ens rationis, quia tota verſatur circa operationes intellectus, ſeu circa modos ſciendi, qui ſunt opera rationis, licèt alioqui ſint entia realia, prout reale opponitur enti chimerico. Si autem per ens rationis nihil aliud intelligatur, quàm actus mentis, ſeu rationis, facilè concederem ens rationis eſſe objectum Logicæ, quia ſyllogiſmus eſt verè opus intellectus, ut dictum eſt.

Objicies 2. Illud eſt objectum totale ſcientiæ, ac formale, ad quod revocantur omnia, quæ tractantur in ſcientia, ſed omnia, quæ tractantur in Logica, ſunt entia rationis, aut revocantur ad ens rationis, ergo ens rationis eſt objectum totale, & formale Logicæ. Prob. min. Omnia, quæ tractantur in Logica, ſunt ſubjectum, prædicatum, genus, ſpecies, definitio, diviſio, & argumentatio, ſed hæc omnia ſunt entia rationis, ergo omnia, quæ tractantur in Logica, ſunt entia rationis, aut revocantur ad ea.

Reſp. 1. diſt. maj. Si habeat alias etiam conditiones objecti totalis, & formalis, conc. maj. ſi non habeat, neg. maj. Ens autem rationis non habet alias, ut probatum eſt.

Reſp. 2. diſt. min. Sunt entia rationis largè, & impropriè, ideſt opera rationis, ſeu intellectus, conc.

min. propriè, & in ſenſu, quo hìc ſumitur ens rationis, ſcil. prout opponitur enti vero, neg. min. & conſeq. Et ſimiliter ad probationem. Logica igitur tota verſatur ad dirigendos actus rationis, ſeu intellectus in ordine ad rectum ſyllogiſmum, & illi actus non ſunt propriè entia rationis, ſeu chimerica. De his enim agimus.

CONCLUSIO IV.

Tres mentis operationes prout dirigibiles non ſunt objectum formale, & adæquatum Logicæ. Eſt etiam de mente Doctoris citati, & Scotiſtarum contra plurimos neotericos.

Prob. De ratione objecti ſcientiæ eſt, ut in illa cognoſcatur quoad quid eſt, & quòd eſt, ut diximus, ſed non ſpectat ad Logicam ſcire de operationibus mentis, quòd ſint, nec quid ſint, nec præſupponit ullam ſcientiam anteriorem, quæ illud doceat, hoc enim pertinet ad ſcientiam Phyſicam de anima, ergo tres operationes mentis, etiam ut dirigibiles, non ſunt objectum formale totale Logicæ.

Confirm. Quia ſi propter illam dirigibilitatem reducerentur ad Logicam, hæc ſubalternaretur ſcientiæ de anima, quia conſideraret illius objectum, ſcil. operationes animæ ſub aliqua formalitate accidentali, qualis eſt dirigibilitas, ſed falſum conſequens, ergo & antecedens.

Confirm. 2. Quia ratio formalis objecti ſcientiæ eſt medium in demonſtratione, qua demonſtratur paſſio, ſeu proprietas ejus, ſed dirigibilitas non eſt medium, quo poſſint demonſtrari proprietates operationum mentis, ſed potiùs ipſa eſt proprietas demonſtrabilis, ergo dirigibilitas non eſt objectum formale *quo*, nec tres mentis operationes, ut dirigibiles, ſunt objectum formale *quod*.

Prob. 2. concluſio. Illud non eſt objectum formale ſcientiæ, in cujus conſideratione, vel productione non quieſcit tota, ſed Logica non conquieſcit in conſideratione, nec productione dirigibilitatis operationum mentis, ergo operationes mentis, ut dirigibiles, ſeu illarum dirigibilitas, non eſt objectum formale Logicæ. Prob. min. Per Logicam diri-

dirigitur intellectus, & in directione conquieſcit, ſed præciſè per conſiderationem, vel operationem dirigibilitatis non dirigitur intellectus, ergo Logica non conquieſcit in conſideratione, nec in productione dirigibilitatis intellectus.

Objicies 1. Omnia, quæ tractantur in Logica, revocantur ad tres operationes mentis, ut dirigibiles, ergo ſunt objectum adæquatum Logicæ.

Reſp. neg. conſeq. quia licèt hæc conditio objecti totalis reperiatur in tribus operationibus mentis, non reperiuntur reliquæ, ut patet ex fundamento concluſionis noſtræ, v. g. quòd non ſpectet ad Logicam definire operationes illas ſecundùm eſſentiam earum, nec probare exiſtentiam earundem, ſed hoc ſpectat ad ſcientiam naturalem de Anima.

Objicies 2. Operationes mentis ut dirigibiles poſſunt conſiderari ab aliqua ſcientia, ſed non poſſunt conſiderari ab alia, quàm à Logica, ergo ut dirigibiles conſiderantur à Logica, ergo, ut tales, ſunt objectum ejus. Maj. ſupponitur certa. Prob. min. Quia omnia, quæ traduntur in Logica, ſunt velut regulæ, & inſtrumenta, quibus dirigitur intellectus in ſuis operationibus, ne aberret, ergo tota Logica occupatur in directione operationum intellectus, ergo illæ operationes, ut dirigibiles, non poſſunt ſpectari, niſi à Logica.

Reſp. conceſsa maj. & min. ac 1. conſeq. diſt. ſubſumptum, ſeu 2. conſeq. Sunt objectum materiale, ac remotum, conc. ſubſumptum: formale, & proximum, nego ſubſ. Operationes dirigibiles ſunt ſubjectum, in quo Logica operatur ſua inſtrumenta apta ad illarum directionem, ſcil. modos ſciendi, & ſyllogiſmos. Nec enim Logica facit, quòd operationes mentis ſint dirigibiles, ſed illud ſupponit, & ſuppoſita earum dirigibilitate, operatur ſua inſtrumenta ſciendi, quibus dirigantur. Objectum ergo Logicæ eſt ille modus, ſeu inſtrumentum ſciendi, non verò ſubjectum, in quo debet illud operari, quia objectum facultatis inſtrumentariæ, qualis eſt Logica, non eſt opus, ad quod ordinatur, aut cui inſervit, ſed inſtrumenta, quibus inſervit illi operi, & ſi in Logica conſideratur dirigibilitas operationum mentis, hoc eſt, in ordine ad confectionem inſtrumentorum, quibus cognita

earum indigentia, & aptitudine ad directionem, dirigantur.

Inſt. Operationes non referuntur ad inſtrumenta, nec ſunt propter illa, ſed potiùs inſtrumenta ſunt propter operationes,& ad illas referuntur, ergo inſtrumenta ſciendi in Logica referuntur ad operationes mentis, non verò iſtę ad illa, ergo operationes, ut dirigibiles, ſunt objectum formale Logicæ.

Reſp.diſt.ant. Inſtrumenta ſunt propter operationes in eſſe phyſico,conc.ant. in eſſe ſcibili, nego ant. &conſ. quia operationum dirigibilitas conſideratur propter inſtrumenta, ut ſcil.ſciatur, quomodò fieri debeant inſtrumenta ſciendi,quibus dirigantur, ſicut demonſtratio eſt quidem propter ſcientiam in eſſe phyſico, ſed in eſſe ſcibili ſcientia conſideratur propter demonſtrationem,ſcil.conſideratur natura ſcientiæ, ut ſciatur, quomodò conficienda ſit demonſtratio, velut inſtrumentum ad ſcientiam comparandam, v.g.poſtquam cognovi, quòd ſcire eſt *cognoſcere rem per cauſam ſuam neceſſariam*, hinc concludo, quòd demonſtratio, ut faciat ſcientiam, debet conſtare *præmiſſis, veris, neceſſariis*, &c. Ergo conſideratur ſcientiæ natura in ordine ad demonſtrationem: & ita eſt de operationibus mentis cum ſua dirigibilitate, quæ conſiderantur à Logica in ordine ad inſtrumenta, quibus dirigantur, ut ſint rectæ.

Inſtabis 2. In aliis facultatibus, etiam organicis, inſtrumenta non ſunt objectum, ſed operationes, ad quas inſtrumenta ordinantur, v.g. in arte ſcribendi, calamus non eſt objectum, ſed ſcriptura, ad quam calamus ordinatur,idem eſt de pennicillo in arte pingendi: ergo in Logica non inſtrumenta ſciendi, ſed operationes dirigibiles ſunt objectum ejus.

Reſp. nego parit. ſeu conſ. & diſparitas eſt,quia calamus,pennicillus, & ſimilia inſtrumenta debent attingere operationes facultatum,quibus inſerviunt,& ideò ad illas operationes ordinantur, non verò operationes ſunt propter illa; ſed non ita eſt in omnibus facultatibus. V. g. fręnofactoria reſpectu equeſtris, aut facultas ferraria reſpectu lignaria, priores ſubminiſtrant inſtrumenta poſterioribus: ſed ita,ut fręno factoria non attingat opus artis equeſtris, cui famulatur,nec ferraria attingat opus lignariæ,& ideò

ope-

operationes facultatis equeſtris non ſunt objectū frę-no factoriæ, ſed hęc habet pro objectǫ propria inſtrumenta, ſcil. frena. Ita eſt de Logica. Hæc enim ita famulatur aliis ſcientiis, ſubminiſtrando illis inſtrumenta, ſeu regulas rectè definiendi, dividendi, & argumentandi, ut non attingat earum opera, ſed tantùm ſua propria; & ideò hæc ſunt ejus objectum.

Inſt. 3. Ethica, quæ tradit regulas ad directionem operationum voluntatis, ut fiant rectæ, non dicitur habere illas regulas pro objecto, ſed illas operationes, ergo ita eſt de Logica.

Reſp. neg. ant. quia ex Scoto non operationes voluntatis, ſed homo, ut naturaliter capax felicitatis, eſt objectum Ethicæ.

Reſp. 2. gratis conceſſo, ant. neg. conſeq. quia ſcientia moralis non tantùm directivè, ſed etiam elicitivè attingit operationes voluntatis, quas dirigit, non ita eſt de Logica reſpectu operationum mentis in aliis ſcientiis.

Inſt. 4. Logica docet dividere, definire, & argumentari, ſed dividere, definire, & argumentari ſunt ipſæ operationes mentis, ergo operationes mentis ſunt ipſum objectum, & ipſamet inſtrumenta Logicæ.

Reſp. diſt. min. formaliter, conc. min. objectivè, neg. min. Nam diviſio, definitio, & argumentatio formaliter quidem ſunt ipſę actiones dividendi, definiendi, & argumentandi, & in eo ſenſu vera eſt minor, ſed objectivè, ſive idealiter, ſunt tantùm regulæ, quibus rectè conficiuntur tales actus, ſed in hoc ſenſu falſa eſt minor, & conſeq.

CONCLUSIO V.

Demonſtratio non eſt objectum totale, & attributionis Logicæ, poteſt tamen dici magis principale. Eſt Scotiſtarum, & aliorum ſatis communiter.

Prob. Illud non eſt objectum totale, & attributionis Logicæ, ad quod non referuntur omnia, quæ tractantur in Logica, ſed hæc omnia non referuntur ad demonſtrationem, ergo demonſtratio non eſt objectum totale, & attributionis Logicæ. Prob. min. Logica tractat de ſyllogiſmo probabili, & ſophiſtico, ſed hi ſyllogiſmi non referuntur ad demonſtrationem, ergo omnia, quæ tractantur in Logica, non referuntur

tur

tur ad demonſtrationem. Prob. min. Quod neque eſt pars alterius, nec effectus, neque illi præſupponitur, neque ullam habet cum eo connexionem, non ordinatur ad illius cognitionem, ſed ſyllogiſmus probabilis neque præſupponitur demonſtrationi, nec illi connectitur, nec eſt ejus pars, vel effectus, ergo ejus cognitio non ordinatur ad illam.

Dices. Refertur ad ejus cognitionem ratione oppoſitionis. Nam oppoſita referuntur ad ſe invicem.

Contra. Quia per oppoſitionē mutuò ſe reſpiciunt, & non magis probabilis refertur ad demonſtrativū, quàm demonſtrativus ad probabilem, ſicut ex oppoſitione bruti cum homine, non ſequitur, quòd brutum ad hominem referatur magis, quàm homo ad brutum, & idem eſt de albo, & nigro, ergo nulla reſponſio.

Prob. 1. Conc. Si ſyllogiſmus topicus referretur ad demonſtrativum, eſſet ratione formæ, vel materiæ, ſed neutrum dici poteſt, ergo non refertur. Prob. min. 1. Non ratione formæ. Hæc enim eadem eſt in utroque, ergo &c. 2. Non ratione materiæ, quia non ſpectat ad Logicam judicium de materia ſyllogiſmi, ſed ad alias ſcientias, quarum objectis applicatur artificium ſyllogiſticum, & revera ſyllogiſmus demonſtrativus, & probabilis non differunt, niſi penes materiam, ut diximus.

Objicies 1. Omnia, quæ traduntur in Logica, ordinantur ad demonſtrationem, ergo illa eſt objectum attributionis ejus. Prob. ant. Omnia ordinantur ad finē, ſed demonſtratio eſt finis Logicæ, ergo omnia, quæ tradit Logica, ordinantur ad demonſtrationem.

Reſp. neg. ant. & diſt. min. probationis. Demonſtratio eſt finis inadæquatus, & partialis, conc. min. totalis, & adæquatus, neg. min. & conſeq. Logica intendit quidem principaliter regulas bonæ demonſtrationis, ſed non negligit regulas, & notitiam ſyllogiſmi topici, quamvis ſit ignobilior ratione materiæ.

Inſt. Illud eſt finis adæquatus Logicæ, in quo tota Logica conquieſcit, ſed tota conquieſcit in demonſtratione, ergo illa eſt finis adæquatus Logicæ.

Reſp. diſt. maj. Si quieſcat ex eo, quod non poſſit aliud acquirere, conc. maj. ſi quieſcat ex eo tantùm, quòd non poſſit habere perfectius, aut melius, neg. maj.

maj. Sed Logica conquieſcit in demonſtratione , quia non poteſt habere melius , conc. min. quia non poteſt aliud acquirere , neg. min. Poteſt enim habere ſyllogiſmum probabilem , & ille inſervit ejus appetitui , & deſiderio cognoſcendi omnia omnibus modis , quibus cognoſci poſſunt , poſſunt verò cognoſci non ſolùm demonſtrativè , ſed etiam probabiliter , poſſunt ſciri non ſolùm , quæ neceſſaria ſunt , nec poſſunt aliter ſe habere , ſed etiam , quæ ſunt contingentia .

Objicies 2. Omnia, quæ tractantur in Logica , tendunt, ut faciant ſcire, ſed ſola dmonſtratio facit ſcire, ergo omnia tendunt ad demonſtrationem , ergo illa eſt objectum attributionis Logicæ. Prob. ant. Syllogiſmus enim probabilis non generat ſcientiam, ſed tantùm opinionem , ergo ſola demonſtratio cauſat ſcientiam .

Reſp. diſt. ant. Ut faciant ſcire, quantum eſt ex parte artificii ſyllogiſtici, conc. ant. quantum eſt ex parte materiæ, neg. ant. & conſeq. utranque: artificium autem ſyllogiſticum eſt idem in utroque, ut patet ex dictis, & tota eorum differentia venit ex materia , & non omnis materia eſt demonſtrabilis .

Objicies 3. Omne imperfectum reducitur ad perfectum, ſed ſyllogiſmus topicus eſt imperfectus reſpectu demonſtrationis , ergo ad demonſtrationem reducitur .

Reſp. diſt. min. Quidquid ſit de majori, topicus eſt imperfectus materialiter, conc. min. formaliter, neg. min. & conſeq. quia forma eſt eadem utriuſque. Non igitur eſt imperfectus, niſi ratione materiæ , quæ in topico eſt contingens .

CONCLUSIO VI.

Dici poteſt , Modum , ſeu inſtrumentum ſciendi , ut ſic , eſſe objectum adæquatum , & attributionis totius Logicæ , Syllogiſmum verò Logicæ Ariſtotelicæ . Eſt Scoti, & Scotiſtarum .

Explicatur. Si Logica ſumatur ſecundùm totam ſuam latitudinem, quam habere poteſt, Doctor Subtilis [1] exiſtimat, ejus objectū adæquatum eſſe Modum ſciendi, ut ſic: ſi verò ſumatur ſtrictè, & ſecundùm eas tantùm partes, ſecundùm quas traditur ab Ari-

[1] *Q. 3. Univer. n.7. L.1. Prior. q.2. n.7.*

Ariſtotele, cenſet, ejus objectum eſſe ſyllogiſmum ut ſic. De ſyllogiſmo in hoc ſenſu loquitur q.3.Univ. ubi aſſerit, illum eſſe objectum attributionis Logicæ; & in priori ſenſu loquitur l.1. prior. q.2. ubi id aſſerit de modo ſciendi, & ſic non ſibi contradicit, ut putant plurimi. Per modum autem ſciendi, ſeu inſtrumentum ſciendi, intelligimus id, *quo à cognitione alicujus noti devenimus ad cognitionem ignoti*, ſeu *progreſſionem à noto ad ignotum*, & per ſyllogiſmum ut ſic, ſeu, qui præſcindit à probabili, & demonſtrativo, intelligimus *orationem, in qua, quibuſdam poſitis, aliud quid à poſitis neceſſariò ſequitur, eo quod hæc ſint*. Hoc ſuppoſito

Prob.1.p. concl. Quia modus ſciendi ut ſic, & in ſenſu concluſionis habet omnes conditiones objecti totalis, & attributionis Logicæ ſecundùm ſe, & in tota ſua latitudine, ergo, ut talis, eſt objectum Logicæ. Prob.ant. Nam 1. Logica cognoſcit de modo ſciendi, *quia eſt*, & *quid eſt*, ſcilicet oſtendit ejus exiſtentiam, & quidditatem per veram definitionem ejus, ut patet ex hucuſque dictis, & per conſequens eſt quid certum, ac neceſſarium. 2. Ille modus habet paſsiones, partes, & proprietates, quæ in Logica demonſtrantur. Habet enim definitionem, diviſionem, & argumentationem, & ſi quæ alia ſunt inſtrumenta inſervientia ad directionem intellectus in ſuis operationibus, habet principia, quibus omnium iſtorum proprietates demonſtrat, ut patet ex dictis. 3. per ſe intenditur, & conſideratur à Logica, & ad eum ordinantur omnia, quæ tractantur in Logica ſecundùm totam ſuam latitudinem, ergo eſt objectum adæquatum Logicæ ſecundùm ſe totam.

Prob.2. Quia objectum ſcientiæ inſtrumentariæ eſt inſtrumentum, circa quod verſatur, & cujus conſtructionem docet, ſed Logica eſt ſcientia inſtrumentalis, ut docet modum ſciendi, quem aliis ſcientiis ſubminiſtrat, ergo modus, ſeu inſtrumentum ſciendi eſt objectum totale Logicæ.

Dices. Hæc omnia etiam convenire ſyllogiſmo. Habet enim cōditiones eaſdem objecti totalis, & eſt inſtrumentum ſciendi, omnia alia comprehendens, aut continens, ergo potiùs ille dicendus eſt objectum.

Contra. Quia Logica, ſecundùm quod traditur ab

Ari-

Ariſtotele,non agit de diviſione, & definitione, ſed utraque eſt verè inſtrumentum ſciendi, & non pertinent ad ſyllogiſmum, ergo pertinent ad Logicam ſecundùm ſe, & ſub hac conſideratione ſyllogiſmus non habet rationem objecti adæquati, & attributionis. Maj.patet. [2] Nam Ariſtoteles non conſideravit in ſua Logica terminos, nec definitionem, ſaltem ex profeſſo, nec diviſionem, ut fatentur Complutenſes, niſi indirectè, & quatenus illi componunt propoſitiones,& iſtę ingrediuntur demonſtrationem, & non fuit ſollicitus niſi de directione diſcurſus, ſeu ſyllogismi. Certum eſt autem, quòd definitio,& diviſio poſſunt, & debent per ſe conſiderari ab aliqua ſcientia. Sunt enim per ſe modi ſciendi.

Suppono etiam tanquam certum, & ab omnibus conceſſum, quòd libri Porphyrii, qui ſunt de Univerſalibus, libri de ſex principiis, & de diviſione,& alii, quidam conferentes ad Logicam, fuerunt ab aliis, quàm ab Ariſtotele, editi. Unde notat Scotus, [2] quòd non curavit Ariſtoteles de modo ſciendi per diviſionem, quia eſt imperfectus, ſed quia argumentatio eſt modus ſciendi perfectiſſimus inter alios,ideò de ipſo Ariſtoteles fecit quaſi totam Logicam.

Prob. 3. Quia modus ſciendi, ut ſic, & in ſenſu concluſionis verè comprehendit omnia, quæ tractantur in Logica ſecundùm ſe, & non excedit ejus terminos, ergo eſt objectum ejus adæquatum. Prob. ant. Omnia enim, quę tractantur in Logica,in tota ſua latitudine, ſunt, vel *Diviſio*, vel *Definitio*, vel *Argumentatio*, vel *Terminus*, vel *Propoſitio*, ſed hæc omnia pertinent ad modum ſciendi, & conducunt ad progreſſionem à noto ad ignotum, ergo &c.

Prob. 2. pars eodem modo. Quia Syllogiſmus,ut ſic habet omnes conditiones objecti totalis, reſpectu Logicæ,quam habemus ex Ariſtotele, ergo eſt objectum totale, & attributionis Logicæ in eo ſenſu. Prob. min. diſcurrendo per ſingulas eaſdem conditiones. Nam in Logica ſupponitur de ſyllogiſmo, *quia eſt*, docetur, *quid eſt*, eſt quid certum, & neceſſarium, habet partes, & proprietates, & principia, quibus illas demonſtret, conſideratur per ſe ab illa Logica, & omnia, quæ in illa tractantur,

[1] *Scotus 2. parte*, q.2. n.8. [2] *Ibid. n.* 8.

tur, in eo continentur, aut ad illum referuntur.

Prob. 2. Quia nullum aliud objectum commodiùs aſſignatur, ut patet ex refutatione aliarum opinionum.

Objicies 1. contra 1. partem auctoritatem Scoti, [1] qui poſitivè aſſerit, *ſubjectum primum, & proximum Logicæ eſſe ſyllogiſmum*, & id probat enumeratione trium conditionum principalium objecti ſcientiæ: ſed loquitur abſolutè de Logica, & abſque ulla diſtinctione, vel limitatione, ergo ex Scoto Syllogiſmus, ut ſic, eſt verum objectum totius Logicæ, vel ſibi contradiceret Scotus, quod non admittimus.

Reſp. diſt maj. Logicæ veteris, & prout habetur ab Ariſtotele, conc. maj. Logicæ ſecundùm ſe, & recenter, qualiter jam tractatur in tota ſua latitudine, neg. maj. & min. Nam Doctor ibi expreſsè loquitur de *Logica veteri*, ideſt, ut primò tradebatur ab Ariſtotele [2]. Nam bis ibi repetiit mentionem *de veteri Logica*, & ut jam notavimus in primo priorum, id apertè innuit his verbis, 2. *Concluſio eſt, quòd iſte terminus, inſtrumentum ſciendi eſt ſubjectum in tota Logica*, & dum id probat ex conditionibus objecti, mentionem facit de diviſione, & definitione, ſeu partibus Logicæ, quæ non ſunt Ariſtotelis, ut de libris Boetii, qui ſunt de diviſione, & Porphyrii, qui ſunt de univerſalibus, addens, quòd ſi *agatur de argumentatione, quia iſte modus ſciendi eſt perfectiſſimus inter alios, ideò Ariſtoteles de ipſo fecit quaſi totam ſuam Logicam*.

Aliter reſpondent inſignes Scotiſtæ. Nam Philippus Faber putat, [3] propter hanc apparentem contradictionem Doctoris 1. prior. non eſſe illius germanum fœtum. Fuentes reſpondet, quòd vult tantùm inſtrumentum ſciendi eſſe objectum prædicationis, non attributionis: per ſubjectum prædicationis intelligit id, quod prædicatur de omnibus, quæ traduntur in ſcientia, licèt ad illud non ordinentur. Nam de omnibus dici poteſt, quòd ſint inſtrumentum ſciendi. Sed illa diſtinctio non erat neceſſaria ad conciliandas has duas concluſiones Doctoris. Alii dicunt, illum mutaſſe ſententiam in libris priorum, quod non eſt inju-

[1] *q. 3. Univ. §. dicendum ergo n. 7.* [2] *1. poſt. q. 2. n. 7. concl. 1. & 2.* [3] *Theodemate 6.*

injurioſum ſummis viris, ut fecit S. Auguſtinus toto libro retractationum . Sed longè probabiliùs, & magis ad mentem ejus reſpondemus modo prædicto.

Objicies 2. Solus ſyllogiſmus eſt verè modus ſciendi, ergo ille ſolus eſt objectum Logicæ totius . Prob. ant. Quia ſolus ſyllogiſmus progreditur à noto ad ignotum , ergo ſolus eſt inſtrumentum ſciendi . Patet conſeq. ex definitione modi ſciendi . Prob. ant. Quia diviſio, & definitio non faciunt ſcire , non progrediuntur à noto ad ignotum , quàmvis præſupponantur ad ſcientiam , & conducant ad illam , quatenus ingrediuntur ſyllogiſmum .

Reſp. diſt. ant. Eſt modus ſciendi rigorosè, & ſtrictè ſumpto nomine ſcientiæ, quatenus eſt cognitio parta per diſcurſum ſyllogiſticum, conc. ant. latè ſumpto nomine ſcientiæ , & inſtrumenti ſciendi , nego ant. utriuſque argumenti . Per inſtrumentum ergo ſciendi ſolent intelligere Dialectici illud , quod *eſt ignoti manifeſtativum* , quomodocunque id fiat , ſive per formalem, & explicitum diſcurſum , qualis eſt ſyllogiſmus, ſive per alium, ut fit per diviſionem, & definitionem, per quas diſtinctè cognoſcimus id , quod anteà non cognoſcebatur, niſi confusè . Prætereà ſufficit , ut *Termini*, *Enuntiationes*, *Diviſiones*, & *Definitiones* inſerviant ſyllogiſmo , & ſaltem mediatè faciant ſcire, ad hoc, ut dicantur modi ſciendi .

Objicies contra 2. p. Syllogiſmus eſt objectum partis Logicæ Ariſtotelicæ, ſc. libri Priorum , qui eſt tantùm una pars , ergo non eſt objectum totius , quia idem nequit eſſe objectum partis , & totius .

Reſp. diſt. ant. Eſt objectum libri Priorum ſecundùm ſe, & ea , quæ ad illum ſpectant immediatè in ratione ſyllogiſmi , conc. ant. ſecundùm ſe totum , & omnia, quæ ad illum ſpectant mediatè , & immediatè, & ut partes, ac proprietates, & adminicula ejus, nego antec. & conſeq. Eſt ergo objectum partis, & totius ſub diverſo reſpectu . Nam in aliis libris , ſeu partibus Logicæ traduntur ea, quę ſpectant ad ſyllogiſmum mediatè, ut partes, aut effectus, aut proprietates, aut adminicula , in libris Priorum agitur de ſyllogiſmo ſecundùm ſe , & vim , ac formam ſyllogiſticam .

Objicies 2. Syllogiſmus(idē eſt de modo ſciendi) eſt

eus

ens rationis, & non ens reale, ergo non poteſt eſſe objectum Logicæ. Patet, ant. quia nullum habet eſſe, niſi ab intellectu.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus. Ens rationis, id eſt, ens productum à ratione, & quod non habet eſſe, niſi ab intellectu effectivè, conc. ant. utrunque: ens fictum, & quod non habet eſse, niſi objectivum in intellectu, neg. ant. & conſeq. Syllogiſmus eſt quidem opus rationis, ſed opus reale, & non fictitium.

Inſt. Syllogiſmus includit entia rationis, ſcil. ſecundas intentiones, ſed ſecundæ intentiones ſunt purum ens rationis, ergo ſyllogiſmus formaliter eſt ens rationis.

Reſp. neg. min. in ſenſu præced. reſponſionis. Nam, ut videbimus ſuo loco, ſecundæ intentiones ſunt opera intellectus realia, & habent eſse ab intellectu efficienter, & non tantùm objectivè.

Inſt. 2. Logica dicitur ſcientia rationalis, ergo habet pro objecto ens rationis.

Reſp. ut aliàs, quòd Logica dicitur rationalis, ut diſtinguatur ab aliis ſcientiis realibus, quarum objecta exiſtentiam habent independenter ab operatione intellectus, & extra illum, iſtius verò objectum ſunt operationes intellectus. Et quidem eò tendit, ut doceat modum ratiocinandi, ſeu diſcurrendi, non verò agit de ente rationis fictitio, quod non habet, niſi eſſe objectivum in intellectu.

Objicies 3. Illud non eſt objectum attributionis Logicæ, ad quod non referuntur omnia, quæ tractantur in Logica, ſed omnia, quæ tractantur in Logica, non referuntur ad ſyllogiſmum, ergo, &c.

Prob. min. Definitio, & Diviſio non referuntur ad ſyllogiſmum, ſaltem per ſe, ſed de his tractat Logica, ergo, &c.

Reſp. 1. Hoc argumentum non facere contra nos, propter dicta in prima parte concluſionis, in qua propter hanc rationem ſuſtinemus modum ſciendi, ut ſic, eſſe objectum totius Logicæ.

Reſp. nego min. ad probat. diſt. mai. Definitio, & Diviſio nullo modo reducuntur ad ſyllogiſmum, nec tanquam partes, ut Definitio, quæ ſæpè ingreditur ſyllogiſmum, nec tanquam adminicula, quæ parant, & facilitant viam ad illum, neg. maj. per ſe, & immediatè,

diatè, conc. maj. & neg. conſeq. ſed tene priorem reſponſionem propter primam partem concluſionis.

Objicies 4. Sublato ſyllogiſmo adhuc remanet Logica, ergo ſyllogiſmus non eſt objectum formale, & adæquatum Logicæ. Prob. ant. Remanet prima, & ſecunda operatio,ſeu ſcientia de terminis incomplexis, & complexis, ut ſunt Definitio, & Diviſio,&c. quæ ſunt inſtrumenta ſciendi, & manifeſtativa ignoti, ergo, &c.

Reſp. diſt.ant. Remanet Logica partialis, & imperfecta, conc.ant. perfecta, & totalis, neg. antec. & conſeq. Nam ſicut ſublata majori parte corporis naturalis remanet alia, & quoad illam partem poteſt remanere pars ſcientiæ Phyſicæ, ſic in caſu memineris nos docuiſse ſupra, quòd Logicæ habitus non eſt ſimplex, & indiviſibilis qualitas.

Objicies 5. Sine ſyllogiſmo non poteſt haberi ſcientia de ſyllogiſmo, ergo ſyllogiſmus nequit eſſe objectum Logicæ. Ant.patet. Nam ſcientia nequit haberi, niſi per Demonſtrationem, quæ eſt perfectus ſyllogiſmus. Prob.conſeq. Quia ſic ſyllogiſmus ſciretur per ſe ipſum, & ſic eſset notus, & ignotus, ſed abſurdum conſeq. ergo & antec.

Reſp. diſt. ant. *Sine ſyllogiſmo* particulari nequit haberi ſcientia de ſyllogiſmo in communi, conc.ant. ſine ſyllogiſmo communi nequit haberi ſcientia ejuſdem ſyllogiſmi in communi, vel particularis de particulari, neg.ant. Ad probationem diſt.ſimiliter maj. Idem ſyllogiſmus per ſe ipſum ſub diverſo reſpectu, conc. maj. ſub eodem ſenſu, & reſpectu, nego maj. Et ſimiliter diſt. min. neg. conſeq. Ideò ſyllogiſmus particularis, per quem paritur ſcientia ſyllogiſmi in communi, eſt notus,& per illum devenitur in cognitionem communis, qui erat ignotus. Quid ibi abſurdi, & contradictionis?

Inſt. Si primus eſset notus, & evidens de ſe, fruſtra quæreretur ſecundus, falſum conſeq. ergo & antec.

Reſp. neg. maj. Nam primus eſset notus, & evidens quoad evidentiam concluſionis, & præmiſſarum, ſed quoad proprietates, quæ per illum demonſtrantur, cauſaret notitiam ignoti. Nam ante formationem illius, concluſio ipſa, quæ infertur ex

illis præmiſſis evidentibus, ſupponebatur ignota, & ipſa continet regulas, aut proprietates generales ſyllogiſmi in communi.

Inſt. 2. Si iſte primus ſyllogiſmus eſset notus, eſſet notus per alium tertium, ſed hoc eſt abſurdum, ergo ille primus non eſſet notus. Maj. negari non poteſt. Nam tertius ille eſset pariter ſcientificus, & per conſeq. notus per demonſtrationem, quia ille tertius diceretur notus per quartum, & ſic in infinitum, quòd ſi ille primus diceretur ignotus, non poſset generare ſcientiam alterius, nec eſset progreſſio de noto ad ignotum.

Reſp. neg. maj. Nam ille ſyllogiſmus particularis, per quem fieret progreſſus ad cognitionem communis ſyllogiſmi, eſſet notus per ſe, & ex terminis, & tales ſunt ſyllogiſmi demonſtrativi, quibus generatur ſcientia.

Objicies ultimò. Nullum aggregatum per accidens poteſt eſse objectum ſcientiæ, quia debet eſse quid unum per ſe, & definibile una definitione, ſed ſyllogiſmus eſt tale aggregatum, ergo non eſt objectum Logicæ. Prob. min. Quod componitur ex pluribus entibus per ſe, eſt ens per accidens, ſed talis eſt ſyllogiſmus, ergo, &c. Prob. min. Syllogiſmus componitur ex tribus propoſitionibus, quæ ſingulæ poſſunt exiſtere per ſe, & ſeparatim à ſyllogiſmo, ergo componitur ex pluribus entibus per ſe.

Reſp. conc. maj. neg. min. ad probationem, conc. maj. neg. min. ad cujus probationem diſt. min. Propoſitiones poſſunt exiſtere per ſe, & ſeparatim à ſyllogiſmo materialiter ſpectatæ, conc. min. formaliter ſpectatæ, neg. min. & conſeq. Propoſitiones enim, quæ componunt ſyllogiſmum, ſi conſiderentur in ſe materialiter, & ſine ordine ad formam ſyllogiſticam, poſsunt ſingulæ per ſe exiſtere ſeparatim, ſi verò conſiderentur in ordine ad formam ſyllogiſticam, habent connexionem, & dependentiam inter ſe. Nam major, & minor concurrunt ſimul in unum ad eandem concluſionem, ratione figuræ, & modi.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

De Logica humana in ordine ad operationes ſupernaturales, & de Angelica, & Divina.

PRo complemento diſputationis, aliqua dubia hìc attexo de Logica humana, Angelica, & Divina, quàmvis pertinere potiùs videatur ad Theologiam.

Adverte, per Logicam naturalem, & humanam hìc intelligi Logicam artificialem viribus naturæ acquiſitam, & prout naturale opponitur ſupernaturali, non verò prout opponitur artificiali. Et idcircò quæritur, an ſcientia dividendi, definiendi, & argumentandi ſolis viribus naturæ acquiſita inſervire poſsit ad dirigendas operationes ſupernaturales, v.g. ad diſcurrendum in materiis fidei.

Adverte 2. ex dicendis in tractatu de anima, & de Angelis, Angelos diſcurſuum eſſe capaces, id eſt, intellectum Angelicum eſſe diſcurſivum formaliter, Divinum verò non niſi eminenter, aut ad ſummum virtualiter, ut docet Scotus.

CONCLUSIO I.

Logica naturalis dirigit hominem ad operationes ſupernaturales. [1]

Prob. 1. Definitiones, diviſiones, & ſyllogiſmi, quos facimus in materiis ſupernaturaliter cognitis, ſeu in materiis revelatis, non minùs dependet ab habitu Logicæ, ac regulis ejus, quàm ab intellectu, ſed ſupernaturalitas hujuſmodi materiarum non impedit dependentiam talium operationum ab intellectu, ergo nec ab habitu Logicæ naturalis. Maj. patet. Nam ſcientia regularum Logicæ non aliter concurrit ad tales operationes, quàm potentia ipſa intellectiva. Min. etiam clara eſt, quia intellectus quidem elevatur ad cognitionem talium objectorum per habitum fidei: ſed illa elevatio non impedit, quin potentia etiam concurrat ad idem per ſuam facultatem materialem, ergo, &c.

Prob. 2. Certum eſt, quòd in illis materiis defini-

[1] *In 2. d. 5. q. 2. p. & d. 7. q. un. & q. 3. prolog. n. 8.*

mus, dividimus, & argumentamur eodem modo,& per eaſdem regulas, quibus utimur in philoſophicis, ergo eſt idem habitus Logicæ.

Confirmatur. Dirigibilitas harum operationum in ordine ad artificium logicum, ſeu ad rectitudinem illam, eſt purè naturalis, nec dependet à naturalitate, vel ſupernaturalitate objectorum, ergo non requiritur diverſus habitus ſcientiæ.

Prob. 2. Lex humana, aut juſſio naturalis poteſt imperare actus ſupernaturales, fidei, v.g. ergo & Logica dirigere poterit tales operationes. Non enim eſt major ratio de uno, quàm de alio.

Objicies. Logica eſt cognitio naturalis, ergo non poteſt attingere operationem ſupernaturalem, nec ad eam referri. Prob. conſeq. Quia non eſt proportio inter objectum ſupernaturale, & potentiam naturalem, ſed habitus Logicæ ſe tenet ex parte potentiæ naturalis, & objecta, ſeu operationes ſunt ſupernaturales, ergo, &c.

Reſp. diſt. conſeq. Non poteſt attingere objectum ſupernaturale formaliter, & reduplicativè, ut ſupernaturale eſt, conc. conſeq. materialiter, & ſpecificativè, nego conſeq. Logica enim non reſpicit ſupernaturalitatem illarum operationum, ſed ſolam dirigibilitatem, quæ quoad hoc eſt purè naturalis.

Objicies 2. Actus ſupernaturales voluntatis non poſſunt dirigi per cognitionem naturalem, ergo neque actus ſupernaturales intellectus; eſt enim utrobique par ratio.

Reſp. 1. neg. ant. Suppoſito enim habitu, & auxilio gratiæ ſupernaturalis in voluntate, ſufficeret cognitio naturalis, ſi aliud non obſtaret.

Reſp. 2. neg. conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, 1. quia eadem gratia ſupernaturalis, quæ elevat volũtatem ad actus ſupernaturales, elevat etiam intellectum, 2. quia intellectus circa voluntatem, quæ eſt cæca, reſpicit ſubſtantiam, & ideò ſupernaturalitatem actus, quod non facit Logica reſpectu operationum intellectus, quæ aliunde habent ſupernaturalitatem, quàm à tali directione.

CON-

CONCLUSIO II.

Nihil prohibet admittere Logicam in Angelis in ordine ad diſcurſus formales.

Prob. Suppoſito, quòd Angeli forment diſcurſus formales, ut dicetur ſuo loco ex doctrina Scoti, non eſt dubium, quin poſſint conficere ſyllogiſmos in figura, & modo debitis, ut rectè concludant, v.g. in *Barbara*, &c. & norunt hos modos concludendi eſſe optimos, ergo habent habitum Logicæ, ſaltem naturalis.

CONCLUSIO III.

IN Deo poteſt admitti Logica reſpectu operationum noſtri intellectus.

Prob. Licèt Deus non diſcurrat, quia uno ſimpliciſſimo actu comprehendit omnia, novit tamen regulas, quibus nos rectè ratiocinari debeamus, ſed hæc cognitio dici poteſt Logica, ergo, &c. Nec video aliam difficultatem, niſi de nomine.

DISPUTATIO II.

De Ente rationis.

LIcèt hęc diſputatio potiùs ad Metaphyſicam pertinere videatur, cujus objectum eſt Ens, ut ſic, & per conſeq. illius ſit agere de ente fictitio, quod opponitur reali, tamen quia maxima pars Philoſophorum de illo tractant in Logica, imò & aliqui ejus objectum eſſe volunt, aut ſaltem ea, de quibus agit, conſiderant, velut entia rationis, nos turbam ſequemur. Ideò ſit

QUÆSTIO I.

Quid ſit Ens rationis.

NOta Ens 1. dividi *in reale*, & *rationis*. 1. eſt illud, cui non repugnat exiſtentia independenter ab omni fictione intellectus, 2. eſt, quod non habet exiſtentiam, niſi dependenter ab intellectu. Quia autem aliquid multipliciter pēdere poteſt ab intellectu, ideò ens dicitur *rationis*, 1. quia ſubjectatur in in-

 tellectu.

tellectu, ſeu habet eſſe ſubjectivè in intellectu, & hoc ſenſu intellectiones, ſcientiæ, ſpecies intelligibiles ſunt entia rationis, quia non exiſtunt, niſi in intellectu, tanquam in ſubjecto. 2. Quia producitur ab intellectu, & non habet eſſe effectivè, ſeu efficienter, niſi ab illo, & ſic omnes operationes intellectus ſunt entia rationis. 3. Quia conſideratur ab intellectu, eſtque in illo objectivè, ſed non deſinit eſſe extra illum, & in hoc ſenſu etiam entia realia ſunt entia rationis, ſed valdè metaphoricè. 4. Quia de facto non habet exiſtentiam realem, nec eſt extra cauſas ſuas, ſed eam poteſt habere, & talia ſunt omnia poſſibilia, v.g. *Antichriſtus*, & hæc *entia diminuta* vocantur à Scotiſtis, ſcil. dicuntur entia rationis, quæ nullum eſſe habent, nec poſſunt habere etiam ab intellectu, præter objectivum, & iſta propriè ſunt entia rationis. Nam quatuor priora genera entis rationis ſunt verè entia realia, licèt diverſimodè. Et de hoc ultimo procedit quæſtio, imò & tota diſputatio.

CONCLUSIO.

Ens rationis ſtrictè ſumptum ſufficienter deſcribitur *illud, quod habet eſſe objectivum tantùm in intellectu, nec aliud habere poteſt*. Colligitur ex Scoto [1], & eſt communis etiam Thomiſtis.

Prob. Quia ſic ſufficienter explicatur natura ejus, (qualem habere poteſt) ſecundùm genus, & differentiã illi proportionata, ergo iſta deſcriptio ſufficit. Dico, *qualem habere poteſt*. Sicut enim non eſt ens, ita nec naturam habet. Prob. ant. percurrendo ſingulas particulas. Dicitur 1. *quod habet eſſe objectivum in intellectu*, & id ponitur loco generis. Per id enim convenit cum cæteris entibus cognitis, aut cognoſcibilibus. Omne enim ens cognitum, formaliter ut cognitum, habet tale eſſe. 2. *Objectivum tantùm*, & per illud diſtinguitur ab illis entibus, quæ habent eſſe ſubjectivum, vel effectivum ab intellectu, licèt extra illum nequeant exiſtere, tamen in illo, & ab illo exiſtunt aliter, quàm objectivè, ut dictum eſt. 3. *Nullum aliud habet, nec habere poteſt*. Majoris explicationis gratia, ut intelligatur, quòd ens *rationis* eſt ens fictum, ens, cui repugnat omnis alia exiſten-

tia

[1] *Quodlib. 3. art. 1. lit. A. & in 1. diſt. 13. q. 1. D.*

tia, præter objectivam , & ſic magis expreſsè opponitur enti reali, tam poſſibili, quàm exiſtenti , quia licèt ens poſſibile non habeat de facto aliud eſſe, quàm objectivum, poteſt tamen habere , & ideò ens reale diminutum dicitur. Unde ens reale ut ſic, deſcribitur *id, cui non repugnat realis exiſtentia* . 4. *Mediatè, vel immediatè* , ut deſcriptio extendatur non ſolùm ad ea, quæ immediatè effinguntur ab intellectu , ut chimæra, ſed etiam ad ea, quæ videntur mediatè reſultare ex immediatis illis figmentis, ut ſunt relationes ſimilitudinis, quæ poſſent conſtitui , & reſultare inter duas chimæras.

Objicies. Ens rationis poteſt eſſe in voluntate , & phantaſia , ergo malè deſcribitur per eſſe objectivum in intellectu . Prob. ant. Voluntas poteſt amare, vel odio habere chimæram , ſed hoc non poſſet, niſi chimera eſſet in ea objectivè, ergo , &c.

Reſp. diſt. ant. Impropriè, conc. ant. propriè , nego ant. & conſeq. Sed de hoc infra .

QUÆSTIO II.

An dentur entia rationis .

SEnſus eſt, an intellectus poſſit conficere aliqua entia, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt in rerum natura aliter, quàm per cognitionem intellectivam, cui objiciuntur . Nota, ad figmentum duo concurrere . 1. Actio intellectus fingentis , ſeu concipientis talia entia eo modo, quo intelligeret aliquid verè poſſibile . 2. Aliqua objecta realia, quæ obvia ſenſibus occaſiones præbent intellectui ad figmenta illa concipienda , v.g. ex viſione hirci, & cervi , quæ ſunt animalia vera , & realia , & diſtinctiſſima , occaſionem ſumit intellectus concipiendi hircocervum , ideſt, unum animal coaleſcens ex duabus illis naturis , & quod ſit ſimul hircus, & cervus.

CONCLUSIO.

D*Antur hujuſmodi entia rationis.* Eſt Doctoris , [1] & aliorum communiter .

Prob. 1. Ens ab omnibus dividitur in reale , & rationis, ergo datur ens rationis oppoſitum enti reali , alio-

[1] *Loc. cit. & in 1. diſt. 8. q. 4. & quodlib. 1. H. &c.*

alioqui vitioſa eſset diviſio. Debet enim dari per membra oppoſita.

Prob. 2. experientia. Multa enim concipiuntur à nobis, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt alio modo quàm objectivè in intellectu, ſed hæc ſunt entia rationis, ergo, &c. Min. negari non poteſt, quia continet definitionem entis rationis, & maj. qui negaret, ipſam non cognoſceret, vel aſſereret eo ipſo exiſtentiam entis rationis in intellectu.

Objicies 1. Ens rationis eſt id, cujus totum eſſe eſt cognoſci, ſed tale ens non datur, ergo, &c. Prob. min. Quod ſupponitur cognitioni, nō accipit eſſe à cognitione, nec poteſt dependere ab ea quoad eſſe, ſed ens, cujus totum eſſe eſt cognoſci, ſupponitur cognitioni, ergo, &c. Prob. min. Cognoſci ſequitur eſſe, & quod non eſt, non poteſt cognoſci, ergo, &c.

Reſp. 1. neg. utranque min. & antec. probationis. Non enim verum eſt, quòd omnis cognitio ſupponat objectum ſuum, ſicut nec actio terminum, quem producit.

Reſp. 2. neg. min. diſt. maj. probat. Quod ſupponitur cognitioni, non poteſt pendere ab ipſa ſecundùm eſſe, ſecundùm quod illi ſupponitur, conc. maj. ſecundùm aliud, neg. maj. Et diſt. min. Ens, cujus totum eſſe, eſt cognoſci, ſupponitur cognitioni ſecundùm eſſe eſſentiæ, & intelligibilitatis, conc. min. ſecundùm eſſe exiſtentiæ, neg. min. & conſeq. Certum eſt, ne quidem entia realia præſupponi cognitioni ſecundùm eſſe exiſtentiæ, quarè præſupponentur entia rationis, quæ non habent, nec habere poſſunt aliam exiſtentiam, quàm per cognitionem, per quam fabricantur?

Inſt. 1. Intelligibilitas eſt proprietas entis realis, ſed ens rationis eſt intelligibile, ergo eſt ens reale.

Reſp. 1. neg. maj. abſolutè. Experientia enim docet contrarium. Nam intelligo hircocervum, qui non eſt ens reale.

Reſp. 2. diſt. maj. Intelligibilitas motiva, conc. maj. & neg. min. terminativa, neg. maj. & conſeq. Ens enim rationis eſt ſolùm intelligibile terminativè, ſcil. terminat cognitionem, ſaltem per quam effingitur, non verò motivè, ſcilicèt non movet, nec determinat intellectum ad ſui cognitionem, ſaltem per ſe. Hoc enim ſoli enti reali competit.

Inſt.

Inſt. 2. Quando concipio Angelum ut corporeum, nihil aliud intelligo, præter Angelum, & corpus, & tamen facio ens rationis, ſed Angelus, & corpus ſunt entia realia, ergo ens rationis eſt ens reale.

Reſp. diſt. maj. Intelligo Angelum, & corpus ſub modo impoſſibili, ſcil. ſub unione in unam perſonam, vel naturam individuam, conc. maj. ſub modo poſſibili, neg. maj Et d. min. Angelus, & corpus ſunt entia realia ſeparatim, & qualia ſunt in ſe, conc. min. ſub modo concepto, ſcil. ut una aliqua natura realis, neg. min. & conſeq.

Objicies 2. Entia rationis producerentur per aliquam cauſam realem, ergo haberent ens reale, quia nihil eſt à cauſa reali, quod non ſit reale. Prob. ant. Producerentur per intellectum, ergo per cauſam realem.

Reſp. diſt. ant. Per cauſam realem producerentur in eſſe cognito, conc. ant. in eſſe exiſtentiæ, neg. ant. & conſeq. Ad rationem conſeq. diſt. ant. Nihil eſt à cauſa reali, quod non ſit reale, quando producitur ab ea ſecundùm eſſe exiſtentiæ, conc. ant. quando ſolùm producitur quoad eſſe cognitum, ſeu quoad exiſtentiam objectivam tantùm, nego anteced. & conſeq. Quod enim producitur à cauſa reali in eſſe cognito tantùm, non debet eſſe reale quoad aliam exiſtentiam, quàm objectivam in intellectu.

Inſt. Illa entia cognoſcuntur realiter, ergo ſunt entia realia.

Reſp. neg. conſeq. Quia tota realitas ſe tenet ex parte actus, ſeu cognitionis, non verò ex parte objecti.

Urgebis. Cognitio non poteſt eſſe realis, quin objectum ſit reale, ſed, ex conceſſis, cognitio eſt realis, ergo & objectum. Prob. maj. Cognitio pendet ab objecto, ergo ſi cognitio eſt realis, etiam & objectum, ens enim reale non poteſt pendere à non ente reali.

Reſp. neg. maj. ad probationem, neg. conſeq. ad cujus probationem, diſt. ant. Cognitio realis non poteſt pendere effectivè, & motivè à non ente reali, conc. ant. terminativè, n. ant. Cognitio enim pendet effectivè ab objecto, quando iſtud movet intellectum, & concurrit per ſe, aut per propriam ſpeciem,

ſeu repræſentationem, ad ſui cognitionem, non autem ſic concurrit ens rationis, ſed purè terminat cognitionem, ut diximus.

Replicabis. Intellectus nihil poteſt concipere, niſi moveatur, ſeu determinetur ab aliquo, eſt enim de ſe potentia indifferens, ſed non poteſt moveri, niſi per objectum cognitum, quod eſt ens rationis, ergo movetur per ens rationis.

Reſp. diſt. maj. Debet moveri ab aliquo per ſe formaliter, & directè, vel indirectè, & occaſionaliter, conc. maj. directè, & per ſe tantùm, neg. maj. Et diſt. min. non poteſt moveri niſi ab objecto cognito, ſi ſit reale, tranſeat min. ſi non ſit reale, neg. min. & conſeq. Ratio negati mox patebit.

Objic. 3. Nihil eſt in intellectu, quod non fuerit in ſenſu, ſed ens rationis eſt in intellectu, ergo debet fuiſſe in aliquo ſenſu: *ſubſumo*; ſed nihil eſt in ſenſu, quod non ſit reale, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Quod non fuerit in ſenſu per ſe, & propriam ſpeciem, vel per alienam, & indirectè, ſeu occaſionaliter, conc. maj. per ſe formaliter, ſeu per propriam ſpeciem tantùm, neg. ma. Et diſt. conſeq. Debet fuiſſe in ſenſu, ſaltem per alienam ſpeciem, indirectè, & occaſionaliter, conc. conſeq. per ſe formaliter, neg. conſeq. Et diſt. ſubſumptum. Nihil eſt in ſenſu per propriam ſpeciem, & per ſe formaliter, quod non ſit reale, conc. min. ſi per alienam ſpeciem, ſeu occaſionaliter, & indirecte, neg. min. Ens ergo rationis, *hircocervus*, v. g. eſt in ſenſu auditus, vel viſus per ſpecies alienas *hirci*, & *cervi*, quæ ſunt intellectui occaſio componendi ex utroque animali monſtrum illud, & ſic eſt de cæteris.

Ecce ergo, quid ſit eſſe in ſenſu, aut movere intellectum occaſionaliter, ſeu per ſpecies alienas, & indirectè, ſcilicet, quando ens aliquod, quod objiciebatur ſenſui per ſe, fit occaſio intellectui concipiendi, & effingendi aliud per errorem, aut voluntariam effictionem, componendo incomponibilia, & dividendo indiviſibilia. Formaliter verò, & per ſe aliquid dicitur in ſenſu, quando per ſe, aut per propriam ſpeciem illi objicitur, & percipitur tale, quale eſt in ſe.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit ens rationis.

JAm ab initio diximus, ens rationis nomen ſumere ab intellectu, à quo pendet, & illud diſtingui, ſeu dividi penes multiplicem dependentiam, & reſpectum, quem habet ad illam potentiam, quia ſc. vel in ea ſubjectatur, vel illi objicitur, vel ab ea producitur, aut fingitur. Sed quia illa diviſio nimis extrinſeca eſt, & tota ſe tenet ex parte intellectus, quærimus hìc diviſiones ejus magis intrinſecas, & quæ ſe teneant ex parte ipſius objecti conſiderati.

CONCLUSIO I.

E*Ns rationis rectè dividi poteſt, ſicut ens reale, in ſubſtantiale & accidentale, in abſolutum, & relativum.* Colligitur ex Scoto [1] dicente, quòd *in eſse rationis ſunt multi gradus, ſicut in eſse naturæ.*

Prob. 1. Ex communi axiomate, *Quidquid ineſt ſimpliciter in entibus realibus, ineſt ſecundùm quid in entibus rationis*, ergo ea proportione debet dividi ens rationis, qua ens reale.

Prob. 2. & confirmatur præcedens probatio. Ens rationis concipitur per aliquam analogiam, aut proportionem, ſive meliùs per oppoſitionem ad ens reale, ergo debet dividi, atque definiri eodem modo. Ant. ſupponitur ab omnibus ut verum. Prob. conſeq. Oppoſitorum eadem eſt ratio, ergo ſicut ens reale dividitur in diverſas claſses, & prædicamenta, ita cum proportione ens rationis.

Sicut ergo ens reale dividitur in ſubſtantiam, & accidens, accidens in abſolutum, & relativum; & relativum in extrinſecùs, & intrinſecùs adveniens: ita dicendum proportionaliter de ente rationis. Nam *hircocervus* ſe habet, ut ens ſubſtantiale, *ſpatium imaginarium* extra Cœlos, ut accidentale, & per modum quantitatis, & *fama volans*, per modum qualitatis, quæ adjacet homini. *Denominationes extrinſecùs advenientes* concipiuntur ut correlationes quędam in-

[1] *Q. 6. Univerſ.*

ter denominata, v. g. inter cognoſcētem, & cognitum: ut cum concipimus, Deum implere mundum per modum corporis, *amictum eſſe lumine, ut veſtimento*, ſedere in cęlo, ut Reges in throno, &c. illa, ſcil. entia rationis correſpondent prædicamentis, *Ubi, Situs, Habitus*, &c.

CONCLUSIO II.

E*Ns rationis dividitur in fundatum in re, & non fundatum*. Eſt communis.

Prob. Inter illa, quæ fingimus, aliqua ſunt purè ficta, & ſine ulla occaſione à rebus accepta, taliter illa effingēdi, imò potiùs, adeſt ratio movens in contrarium, ut cùm fingimus, ſeu cogitamus *hircocervum* per modum unius animalis veri, ac realis, & hæc dicuntur entia rationis ſine fundamento, ſeu figmenta, & de his loquitur Scotus[1] dicens, *in figmento nihil correſpondet extra intellectum*: vel id facimus non temerè, & merè gratis, ſed adſunt occaſiones quaſi urgentes intellectum ad ſic cogitandum, ut cum in homine concipimus gradum animalitatis ſeorſim à gradu rationalitatis, & illam dicimus rationem genericam, ſeu genus, iſtam verò rationem ſpecificam, quæ quidem denominationes, ſeu relationes, non ſunt adeò arbitrariæ, quin habeant fundamentū in rebus ipſis, ac earum proprietatibus, & effectibus. Nam, dum advertimus, aliquam naturam eſſe pluribus communem, vocamus eam *genus*, ſi paucioribus, *ſpeciem*, ſi uni, *individuum*. Ideò Scotus[2] vocat univerſale ens rationis fundatum. *In univerſali autem aliquid extra correſpondet, & à quo movetur intellectus ad cauſandam talem intentionem*, ſcilicet, relationem, ſeu denominationem, quæ dicitur ſecunda intentio. Et tales denominationes ſunt quidem effectivè ab intellectu, *ſed materialiter, ſive originaliter, ſive occaſionaliter, ſunt à proprietate in re, figmentum verò minimè*. Unde

Collige purè fictitia magis propriè eſſe entia rationis, quàm ea, quæ habent fundamentum in re. Ratio, eſt, quia iſta ſunt minùs impoſſibilia, & minùs illis convenit definitio entis rationis. Quod enim aliquod

[1] *Q. 4. Univerſ. ad tertium*. [2] *Loco cit.*

quod habet fundamentum in re, minùs illi repugnat eſſe extra intellectum, quàmvis illi repugnet abſolutè, quàm illi, quod nullum prorſus habet fundamentum in rebus, ſed merum figmentum, & ſine ulla apparentia rationis. Licèt enim unio hirci, & cervi ſit aliquo modo occaſio intellectui fingendi hircocervum, tamen eſt occaſio valdè remota, & potiùs inducens ad dividenda, quàm ad unienda, & concipienda, ut unum, illa duo animalia.

CONCLUSIO III.

E*Ns rationis aliud eſt privativum, aliud negativum, & aliud poſitivum*. Eſt communis.

Prob. Dum aliquid impoſſibile concipitur per modum poſſibilis, illud eſt, vel per modũ entis poſitivi, vel per modũ negationis, vel privationis: ſi 1. ens rationis erit poſitivum, ſi 2. erit negativũ, ſi 3. erit privativũ, & in hoc alia difficultas eſſe non poteſt, quàm de nomine. Unde quando concipio *chimæram*, ſeu *animal*, quod ſit ſimul homo, & leo, vel quando cogito negationem, aut privationem lucis per modum entis poſitivi, v.g. per modum nigredinis, facio entia rationis poſitiva, ſi verò è contra conciperem entia poſitiva per modum negationis, aut privationis impoſſibilis, & ſine ullo fundamento in re, facerem entia rationis negativa. Sed de negativo ente rationis expreſsè erit ſermo, ubi agemus de negationibus, aut privationibus, an ſint entia rationis ex ſe.

Objicies contra 1. concl. Non poteſt dari ens rationis in genere accidentis abſoluti, ergo non rectè dividitur in accidentale, abſolutum, & relativum. Prob. ant. Totum eſſe relationis conſiſtit in *eſſe ad aliud*, & totum eſſe accidentis conſiſtit in *inhærentia*, quæ eſt *eſſe in alio*, ſed ineſſe alteri, ſeu inhærere, eſt quid reale, eſſe verò ad aliud, præſcindit ab ente reali, & rationis, ergo in ſolo accidente relativo poteſt fieri ens rationis.

Reſp. neg. ant. ad probat. neg. min. Tam enim fingi poteſt accidens impoſſibile, ut inhærens, quàm, ut relativum, & de facto ipſamet relatio, cum ſit accidens, eſt non ſolùm *ad aliud*, ſed etiam in *ſubjecto inhæſio-*

nis ergo, cum poſſit fieri ens rationis, quod reſpondeat relationi prędicamentali, ita de accidente abſoluto. Nam ens rationis in accidente abſoluto, v.g. *ſpatium imaginarium* excogitatum extra Cęlos, habet ſubjectum, ſeu materiam ſibi correſpondentem, ſcil. fictam, & ſic fingitur etiam illa quantitas extenſa cum ſua inheſione.

Inſt. Intellectus poteſt referre unum ad aliud, ad quod re vera non refertur, non autem facere inhærere, quod re vera non inhæret, nec facere ſubſiſtere, quod re vera non ſubſiſtit, ergo non poteſt fieri ens rationis, niſi in accidentibus relativis.

Confirmatur ex Scoto. [1] Qui non admittit ſubſtantiam, nec quantitatem rationis, ſed ſolam relationem, ergo neque in ſubſtantia, nec in quantitate fiunt entia rationis.

Reſp. neg. ant. Tam enim poteſt intellectus concipere qualitatem, vel quantitatem in ſubjecto, cui repugnat, quàm relationem. Aliud autem eſt facere inhærere, quod non inhæret, & aliud cogitare aliquid inhærere, quod non inhæret, 1. non poteſt facere intellectus, bene verò 2. ſicut quando cogitat hircocervum, non facit uniri hircum, & cervum, qui de facto non uniuntur, ſed cogitat ut unitos, cum non poſſint uniri, & ideò facit ens rationis.

Ad confirm. ex Scoto dico, illum ibi nihil aliud dicere, niſi, quòd quantitas rationis non reſultat ex actu collativo intellectus, ſicut relatio rationis, & quòd ſubſtantia rationis, & quantitas rationis rariùs nominantur, quàm relationes; ſed quid inde?

Objicies 2. contra eandem partem. Non debet poni tanta diſtinctio inter entia rationis, quanta inter entia realia, ergo entia rationis non rectè dividuntur in prædicamenta. Prob. ant. Diſtinctio inter entia realia eſt vera eſſentialis, & realis, non verò inter entia ficta, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Tanta abſolutè, & ſimpliciter, conc. ant. tanta cum proportione, & ſecundùm quid, neg. ant. Licèt enim abſolutè, & ſimpliciter loquendo non eſt tanta diſtinctio inter hominem pictum, & leonem pictum, quanta inter hominem verum, & leonem verum, ſed tamen eſt diſtinctio, & proportionata

tionata

[1] 5. *Metaph.* q. 11. *init.*

tionata diſtinctioni reali . Sic dicito in entibus fictis.

Objicies 3. Entia rationis ex Scoto non fiunt , niſi per actum collativum, ergo non poſſunt eſſe , niſi relativa. Prob. conſeq. Quia talis eſt effectus , qualis eſt cauſa.

Reſp. neg. ant. Nam licèt ut plurimùm ; & magis communiter entia rationis fiant per actus collativos, non inde tamen ſequitur , quòd non fiant , aut repugnent fieri per actus abſolutos , & in hoc ſenſu loquitur Scotus .

Objicies contra ſecundam concluſionem . Omnia entia rationis habent fundamentum aliquod , ergo ens rationis ut ſic non benè dividitur in *fundatum*,& *non fundatum* . Prob. antec. Nihil enim fingit intellectus ſine aliqua occaſione ex parte rerum. Non fingeret hircocervum , ut unum animal , niſi cognoſceret hircum , & cervum in ſuis ſpeciebus.

Reſp. diſt antec. Habent fundamentum remotum, leve , & irrationabile, conc. ant. proximum , & rationabile , neg. antec. & conſeq. Diſtinctio enim ſpecierum hirci , & cervi cognita ab intellectu potiùs avertere deberet à fictione unius animalis ex duobus, quàm ad illam inducere . At non ita eſt de entibus fundatis , ut patet ex dictis . Ideò poſſet abſolutè negari antec. & conſeq. probationis , quia cognitio hirci , & cervi non eſt propriè occaſio uniendi illa duo animalia ,ſed potiùs diſtinguendi.

QUÆSTIO IV.

De proprietatibus entis rationis , an , & quæ ſint .

CUm omni enti eo modo, quo ens eſt, conveniant proprietates , ſeu affectiones,aut paſſiones,quæ manant ab ipſius quidditate , & eſſentia , & quæ de ipſo prædicantur , ſi eſt verè , & realiter ens , verè,& realiter ab ipſo manant proprietates , ſi verò non eſt ens reale , ſed rationis , nec realiter, nec verè manant ab illo . Non quærimus ergo hìc proprietates reales entis rationis, ſed proprietates rationis proportionatas enti , cujus ſunt .

CON-

CONCLUSIO I.

E*Ns rationis habet in ſuo ordine proprietates, ſeu paſſiones*. Eſt Scoti, [1] ſaltem quoad ens rationis fundatum, ut eſt ſecunda intentio. Sed concluſio eſt de omni ente rationis.

Prob. In omnibus entibus rationis non ſolùm invenitur prædicatum in *quid*, & *quale eſſentiale*, ſcil. definiuntur per genus, & differentiam ſibi proportionatam, ſed etiam in *quale accidentale*, & *convertibiliter*, quod vocatur *proprium*, ergo habent proprietates. Antec. patebit inductione, & ex ſequenti concluſione.

Confirm. Ens rationis, ut dictum eſt, concipitur ad modum entis realis, & ut illi oppoſitum, ſed omne ens reale in ſuo ordine habet proprietates, ergo & ens rationis in ſuo. Oppoſitorum enim eadem eſt ratio.

Objicies. Proprietates diſtinguuntur à ſubjecto formaliter ex natura rei, & ſunt minùs ens, quàm illud, ſed nullæ tales proprietates poſſunt excogitari de ente rationis, & maximè de chimæra, ergo ens rationis, ſaltem fictitium, non habet proprietates. Prob. min. Diſtinctio ex natura rei ſupponit ſubjectum reale, & nihil poteſt excogitari minus ens, quàm ens rationis, ergo, &c.

Reſpon. neg. minor. Nam eo modo, quo ens rationis habet eſſentiam, ſecundùm quam definitur, habet proprietates fluentes ſuo modo à tali eſſentia, & ſub eodem reſpectu ſunt minus entia. Et ſic reſpondendum ad antec. probationis. In entibus rationis reperiuntur diſtinctiones, & identitates, & unitates uniformes eorum eſſentiæ, ſicut in realibus. *In eſſe rationis ſunt multi gradus, ſicut in eſſe naturæ*, inquit Scotus. [2]

Inſtabis. Tales proprietates eſſent vel reales, vel rationis, ſed neutrum dici poteſt, ergo nullæ ſunt. Prob. ſeq. maj. 1. non ſunt reales, alioquin plus eſſent, quàm earum ſubjectum. 2. non ſunt rationis, quia participarent idem genus cum ſubjecto, ſcilicet eſſent entia rationis, ſed hoc repugnat proprietatibus eſſentia-

[1] *qu.6. univerſ.* [2] *ibid.*

tiarum, ergo non ſunt entia rationis.

Reſp. neg. min. Nam ſunt entitates entis rationis, & tales entitates, quales ſunt proprietates entis realis proportionaliter, & de illis eodem modo, & proportione prædicatur ens rationis.

Inſt. 2. Entia purè chimerica nullam habent naturam determinatam, ergo nec proprietates.

Reſp. diſt. antec. Determinatam naturam realem, conc. antec. imaginariam, & rationis, neg. antec. & conſeq. Nam hircocervus v. gr. habet in intellectu fingente naturam determinatam conſtantem naturis hirci, & cervi, & ſecundùm illam naturam imaginariam habet ſuas proprietates.

CONCLUSIO II.

ENs rationis in communi habet ſuas proprietates ſuo modo, ſicut ens reale in communi, ad cujus inſtar concipitur, & ita eſt de ente rationis in particulari. Hæc ſequitur ex præcedenti.

Prob. 1. pars. Ens reale in communi habet ſuas proprietates ſimplices, ſcilicet unitatem, veritatem, & bonitatem, ſed ens rationis, ut ſic, eſt in ſuo ordine oppoſitum enti reali, ergo ſimiliter in ſuo ordine habet ſuas ſimplices proprietates, ſcilicet imaginariam bonitatem, &c. Et ita eſt de aliis proprietatibus generalibus, v. gr. neceſſitate, aut contingentia, diſtinctione, aut identitate, &c.

Prob. 2. pars. Sicut ſe habent entia particularia in ſuo ordine, ſic ſe habent entia rationis in ſuo. Unde quia illa, quæ ſunt ſubſtantiæ, habent proprietates entis realis ſubſtantialis, & ſic de accidentibus, ita ſuo modo, & cum proportione de entibus rationis, quæ concipiuntur per modum ſubſtantiæ, vel accidentis.

Objicies 1. Veritas, & bonitas ſunt paſſiones entis realis, ergo non conveniunt enti rationis. Antec. patet ex Scoto, [1] & omnibus Philoſophis. Conſequen. etiam eſt clara. Quod enim uni contrariorum convenit, alteri convenire non poteſt.

Reſp. diſt. ant. Veritas, & bonitas realis, conc. antec. veritas rationis, neg. antec. & conſeq. Proprietates e-

nim

[1] *n. 1. d. 3. q. 3.*

nim ſequuntur eſſe rei, ſic proprietates entis rationis erunt etiam rationis.

Inſt. Veritas ſupponit intelligibilitatem, ſed ens rationis non habet intelligibilitatem, ergo nec veritatem. Prob.min. Quia intelligibilitas ſupponit eſſe objecti, & iſtud debet concurrere cum intellectu ad ejus notitiam, ſed ens rationis non poteſt ſic concurrere, ergo, &c. Prob. min. Hæc notitia eſt quid reale, ergo ens rationis non poteſt ad eam concurrere.

Reſp.neg. min. abſolutè, vel ſic, diſt. Non habet intelligibilitatem motivam, conc. min. terminativam, neg. min. Et ſic reſpondebis ad alia duo argumenta, de quibus jam ſupra.

Urgebis 2. Si eſſet intelligibile, vel per propriam ſpeciem, vel per ſpeciem entis realis, ſed neutrum dici poteſt, ergo non eſt intelligibile. Prob. min. 1. quia non eſt objectum motivum intellectus ad ſui notitiam ex conceſſis, ergo non poteſt cauſare propriam ſpeciem. Non 2. quia ſpecies entis diſparati non poteſt cauſare notitiam alterius objecti diſparati, v.gr. ſpecies leonis non poteſt cauſare notitiam hominis, ſed ens reale, & ens rationis ſunt objecta diſparata, ergo ſpecies entis realis non poteſt cauſare notitiam entis rationis.

Reſp.neg. maj. Nam ens rationis intelligitur per ſpeciem entis realis propter oppoſitionem, & analogiam, quam habent inter ſe, ſicut plura entia realia, quæ propriam ſpeciem non habent, v.gr. relationes, quæ non cognoſcuntur, niſi per ſpeciem fundamenti, & termini, prædicata tranſcendentia, & ſuperiora, quæ non intelliguntur, niſi per ſpeciem inferiorum, ſeu ſingularium, imò & ipſæ ſubſtantiæ intelliguntur per ſpecies accidentium ſenſibilium. Sic hircocervus intelligitur occaſionaliter per ſpeciem hirci, & cervi, & per analogiam, quam habet illud figmentum cum illis entibus veris.

Ens ergo rationis cognoſci poteſt duplici cognitione, ſcilicet directa, & reflexa. I. cauſatur per ſpeciem entis realis, indirectè tamen, & occaſionaliter, & tunc non attingitur adæquatè, ſicut eſt, quia attingitur per ſpeciem alienam. Quando verò cognoſcitur reflexè, tunc ſpecies entis realis non concurrit, ſed ſpe-

1] *qu.3. univerſ.n.10.*

ſpecies intellectualis impreſſa, & tota activitas eſt in virtute reflexiva intellectus. Unde hæc propoſitio, inquit Scotus, [1] *nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*, vera eſt de eo, *quod eſt primum intelligibile*, *quod eſt*, ſcil. *quod quid eſt rei materialis, non autem de omnibus per ſe intelligibilibus, quia multa per ſe intelliguntur, non quia ſpeciem faciunt in ſenſu, ſed per reflexionem intellectus.*

QUÆSTIO V.

Utrùm negationes, & privationes ſint entia rationis.

NOta, ex negationibus, & privationibus alias eſſe veras, & poſſibiles, alias fictitias, & impoſſibiles. De iſtis non eſt dubium, quin ſint entia rationis negativa, non enim habent aliud eſſe, niſi objectivum in intellectu fingente, ſed de prioribus conceptis non per modum formarum poſitivarum, ſic enim ſunt entia rationis, v. gr. cùm intelliguntur tenebræ per modum nigredinis, ſed conceptis, ut ſunt, ſcil. per modum abſentiæ formarum realium, v. gr. dum concipiuntur tenebræ velut pura abſentia lucis in aere.

CONCLUSIO.

N*Egationes, & privationes ſecundùm ſe non ſunt entia rationis.* Eſt Scoti, & ſuorum, & aliorum ſatis communiter. Scotus [1] enim admittit *negationem, vel privationem realem alicujus relationis*, & quòd *privatio eſt formalis ratio diſtinguẽdi(actum*, ſeu peccatum) *privativè, ſicut habitus, poſitivè.*

Prob. Tales negationes, & privationes verè inſunt rebus abſque ulla fictione intellectus, ergo non ſunt entia rationis. Prob. antec. Nullo cogitante intellectu negatio viſus verè eſt in lapide, & privatio frigoris in aqua calida, ergo, &c.

Dices. Id probare tantùm, quòd privationes, & negationes non ſunt entia rationis ſecundùm ſe, ſed prout habent eſſe ab intellectu, qui non poteſt eas concipere, niſi per modum entis poſitivi.

Con-

[1] *In 1. d. 23. q. un. 1. & quod. 18.*

Contra. Si concipiuntur ab intellectu velut entia poſitiva, cùm non ſint, non ſequitur, quòd ſint entia rationis in ſe magis, quàm Angelus, dū concipitur per modum entis corporei, ſed Angelus nō evadit ens rationis ex eo, quòd cōcipiatur ut corporeus, v.g. ut adoleſcens alatus, ſicut repræſentatur à pictoribus, ergo ita eſt de privatione. Prob. conſeq. Nam Angelus non deſinit eſſe in ſubſtantia ſpiritalis, licèt concipiatur ſub ſpecie corporea, ergo & negatio, & privatio non deſinunt eſſe reales, quàmvis concipiantur ſub ſpeciebus entis poſitivi. Verum quidem eſt, quod reduplicativè, & formaliter, quatenùs ſic concipiuntur ſub modo ipſis repugnante, ſunt entia rationis, ſcilicet prout ſunt in intellectu, materialiter, & objectivè, ſed in ſe ſunt reales.

Dices 2. Negationes non poſſe concipi aliter, quàm ſub ente poſitivo, ergo non poſſunt concipi, niſi ut entia rationis.

Contra 1. Quia Angeli pro hoc ſtatu noſtro non poſſunt concipi, niſi ſub ſpecie corporea, & tamen non dicitur, quòd ſint entia rationis, ergo ita eſt de negationibus, licèt non poſſint concipi, niſi ſub ente poſitivo.

Contra 2. Falſum eſt, quòd à doctis concipiantur ut entia poſitiva. Dum enim hìc de illis loquimur, & dum negamus eas eſſe entia poſitiva, verè illas concipimus, prout ſunt.

Objicies 1. Intelligibilitas eſt paſſio entis poſitivi, ergo vel negationes, & privationes non ſunt intelligibiles, vel non intelliguntur, niſi ut entia rationis.

Reſp. diſt. antec. Intelligibilitas motiva, conc. antec. terminativa, neg. antec. & conſeq. Et ratio negati patet ex dictis ſuprà.

Objicies 2. Ariſtoteles [1] non agnoſcit alia entia rationis, quàm negationes, privationes, & relationes, ergo ex Ariſtotele negationes, & privationes ſunt entia rationis.

Reſp. Ariſtotelem loqui de entibus rationis, quæ ſunt communiora, quia ſcilicet magis communiter contingunt fictiones, aut errores intellectus circa iſta. Negationes igitur, & privationes non ſunt entia

[1] *5. metaph. cap. 5.*

tia realia poſitiva, ſed reales, & veræ abſentiæ entis realis. Sed aliquando dicuntur entia rationis impropriè, & per accidens, quatenus concipiuntur ſub modo impoſſibili, v.gr. per modum formarum poſitivarum. Et ſic conciliari poſſunt Auctores, quorum aliqui vocant eas entia realia, & alii entia rationis.

QUÆSTIO VI.

De Denominationibus extrinſecis, an ſint entia rationis.

D*Enominatio* eſt attributio nominis alicujus propter formam eo nomine ſignificatam, quæ pertinet ad ſubjectum, cui tribuitur. Sic paries dicitur albus propter albedinem, quæ in eo eſt. Quando autem forma illa denominans eſt verè in ſubjecto denominato, ut albedo in pariete, tunc denominatio dicitur *intrinſeca:* quando verò forma denominans non eſt in ſubjecto denominato, ſed extra illud, & illud reſpicit aliquo modo, tunc denominatio dicitur *extrinſeca*, ut cùm paries dicitur viſus, viſio, quæ eſt forma denominans, eſt in oculo, non in pariete, & ideò hæc denominatio dicitur extrinſeca. Debet tamen forma denominans aliqua ratione reſpicere, & pertinere ad ſubjectum denominatum. Nam ſi nullo modo ad ipſum pertineret, aut pertinere poſſet, ſed potiùs repugnaret illud reſpicere, tunc non eſt dubium, quin denominatio eſſet ens rationis, & chimerica, ut ſi fingeres Deum *ſurdum*, aut *cæcum*, aut *corporeum*, quia *ſurditas*, *cæcitas*, & *corporeitas* non reſpiciunt, nec pertinent ad Deum, ſed nec reſpicere, aut pertinere poſſunt, ſaltem quantùm ad denominandum illum ab eis. Et de iſtis denominationibus fictis non procedit quæſtio, nec etiam de illis extrinſecis, quæ fingerentur ut intrinſecæ, ver.grat. ſi quis audiens parietem dici *viſum*, cogitaret viſionem eſſe in pariete, ſicut ineſt albedo, quia tales denominationes ſunt ens rationis. Quæſtio eſt ſolùm de denominationibus ſecundùm ſe objectivè, & præciſa omni fictione.

CONCLUSIO.

D*Antur denominationes extrinſecæ, & ipſæ non ſunt entia rationis*. Eſt Scoti, [1] qui docet: *Deum dici Dominum ſola relatione nova, quæ eſt in creatura ad ipſum, & ſic denominatur, quaſi eſſet in eo nova relatio correſpondens*, & idem docet alibi paſſim, ut cùm agnoſcit *formam ab extra denominantem, & aliquid denominari, non tantùm à forma*, ſcilicet inhærente, *ſed ab aliquo extrinſeco.*

Prob. 1. pars. Conſtat continua experientia multa denominari à formis, quæ non ſunt in illis. Sic paries denominatur viſus eo ſolùm, quod terminet viſionem, quæ eſt in me, & non in illo, qui nō eſt capax viſionis, ergo dantur denominationes extrinſecæ.

Dices. Advenire novam formam, relationem ſcil. rationis, quæ intelligitur ineſſe parieti ex illa terminatione viſionis.

Contra. Nulla eſt neceſſitas talis relationis fingendæ. Sufficit enim, quòd paries terminet viſionem, ut verè, & realiter dicatur viſus, ergo illa denominatio eſt purè extrinſeca in ſenſu concluſionis, ergo verè dantur tales denominationes.

Prob. 2. pars. Scilicet illas non eſſe entia rationis. Nullo cogitante intellectu verum eſt parietem eſſe viſum, & ſic denominari, ſed hæc denominatio eſt extrinſeca, & tales ſunt illæ, de quibus hìc agimus, v. gr. denominationes *viſi*, *cogniti*, *noliti*, *amati*, &c. ergo denominationes extrinſecæ non ſunt entia rationis. Antec. patet. Nemine enim cogitante, ſeu fingente, paries terminat *viſionem*, *volitionem*, *cognitionem*, &c. Et juxta nominum illorum impoſitionem nihil aliud ſignificant.

Objicies 1. contra 1. par. Omnis denominatio formalis proveniens à forma fit per communicationem talis formæ rei denominatæ, ſed in his caſibus forma denominans non communicatur ſubjectis, quia non ineſt illis, ergo non poteſt illa denominare ne quidem extrinſecè, ergo non dantur denominationes extrinſecæ.

Reſp. 1. diſt. maj. Denominatio formalis intrinſeca,

[1] *in 1. d. 3. q. 2. n. 12. ſub I. & d. 32. q. 2. n. 5.*

ca, conc. maj. formalis extrinſeca, neg. maj.& conſeq. atque ſubſumptum. Nam ad denominationem extrinſecam ſufficit, ut forma denominans reſpiciat ſubjectum denominatum eo modo, quo ſignificatur per nomen, v. gr. quòd terminet viſionem, & ſimiles actus, ſeu formas.

Reſp.2.diſt.min. Forma denominans non communicatur intrinſecè ſubjecto, conc. min. extrinſecè, & terminativè, neg. min.& conſeq. Viſio, ver. gr. communicatur extrinſecè, & terminativè parieti, quem denominat viſum.

Objicies 2. Denominationes *viſi*, *cogniti*,& ſimiles ſupponunt in ſubjecto denominato effectum formalem formæ denominantis, ſed talis effectus nihil eſt aliud, quàm communicatio al cujus formæ per inhærentiam in ſubjecto, ergo eſſe *viſum, cognitum*, & ſimiles denominationes proveniunt à forma inhęrente, ergo ſunt denominationes intrinſecæ. Subſumo, ſed non apparet ulla talis forma præter formam rationis, quæ fingitur advenire, ergo vel non dantur tales denominationes extrinſecæ, vel ſunt entia rationis.

Reſp. neg. min. Sufficit enim terminatio talium formarum, ſeu actuum ad ſubjecta denominata, & denominationes nihil aliud ſignificant.

Objicies 3. Omne concretum dicit formam,& ſubjectum habens illam, non verò terminans illam tantùm, ſed eſſe *viſum*, *cognitum*, & ſimilia ſunt nomina concreta, ergo ſignificant ſubjecta, & formas in eis exiſtentes, non verò ad ea terminatas. Sed tales formæ non poſſunt eſſe, niſi entia rationis, ergo nec denominationes.

Reſp. neg. major. Nam concreta hæc, & ſimilia tàm ſignificant ſubjectum, & formas, quas terminant, quàm eas, quas habent in ſe, nec contrarium probabitur unquam.

Objicies 4. *Scibile*, & *cognoſcibile* ex Ariſtotele [1] ſunt relativa, quia ſcientia, & cognitio referuntur ad ipſa, ergo eſſe *cognitum*, eſſe *viſum*, &c. erunt etiam relativa, ergo dicunt relationem inexiſtentem ſubjectis *viſis*, *cognitis*,&c. Sed eſſe *viſum*,& *cognitum* non ſunt denominationes intrinſecæ, nec reales, ergo ſunt

[1] 5. *metaph.t.*10.

ſunt extrinſecæ, & entia rationis.

Reſp.neg.conſeq.& paritatem. Quia ſcibile dicit in ſubjecto aptitudinem ſibi identificatam ad terminādam ſcientiam, quæ aptitudo eſt relatio, eſſe autem *viſum*, aut *cognitum* nihil aliud eſt, quàm terminare viſionem, ad quod non indiget, niſi propria ſua entitate abſoluta. Sed eſto, ſubjectum dicatur etiam *viſibile*, & *tangibile*, &c. & hoc non poſſit explicari, niſi per modū relationis, ſitque relatio ſecundùm dici, hoc tamen nihil faciet ad denominationem actualem *viſi*, *cogniti*, &c. quin ſit purè extrinſeca, & realis abſque interventu ullius entis rationis, ut mox patebit.

Reſp. 2. Ariſtot. ibi loqui de relationibus ſecundùm dici præcipuè.

CONCLUSIO II.

EX denominationibus extrinſecis petitis ab actibus vitalibus non reſultat in objectis relatio rationis. Eſt Scoti, [1] qui docet, quòd per intellectionem divinam nulla relatio rationis cauſatur in aliquo: ergo idem erit de intellectione creata, & aliis actibus vitalibus. Docet etiam reſpectum rationis non ſequi ex natura rei, & per conſequens neque ex actu ſimplici, & directo potentiæ, ſed ex actu collativo: nos verò hìc loquimur de denominationibus extrinſecis venientibus ex actibus directis, & ſimplicibus potentiarum.

Prob. concl. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas ponendi tales relationes in objectis denominatis, ergo non dantur illæ relationes. Prob. min. Tota neceſſitas eſſet ad ſalvandam denominationem *cogniti*, v.g. &c. ſed ad hoc non eſt neceſſaria ulla relatio rationis, ergo, &c. Prob. min. Ad hoc ſufficit cognitio, vel alius quilibet actus vitalis terminatus ad objectum, ergo relatio rationis non eſt neceſſaria ad talem denominationem. Prob. antec. Quia denominari cognitum, v. g. nihil eſt aliud, quàm habere cognitionem ad ſe terminatam, ſed hoc perfectè habetur à cognitione activa, quæ eſt in intellectu cognoſcentis, ergo ſufficit actus vi-

[1] *in 1.d.35. qu.unica ſub B.& in 3. d.26. E.*

vitalis potentiæ ad talem denominationem.

Dices. Cognitionem illam activam eſſe in cognoſcente, ergo non poteſt denominare objectum cognitum, quæ eſt denominatio paſſiva. Requiritur ergo, quòd fingatur in objecto cognitio paſſiva. Uno verbo: cognitio activa, quæ eſt in intellectu, non poteſt tribuere denominationem activam cognoſcentis in homine, & cogniti in objecto.

Contra. Hoc gratis dicitur, eſtque manifeſta petitio principii, cùm quæſtio ſit de hoc, & evidens eſt illam cognitionem activam ſufficere ad utrunque, ſcilicet ut homo dicatur cognoſcens, & objectum cognitum.

Prob. 2. argum. Scoti. [1] Ens reale de ſe non conſequitur ad ens rationis, nec ab illo dependet,ſed denominatio extrinſeca, v. gr. *viſi* in pariete eſt realis, ergo pendere non poteſt ab ullo ente rationis, &, ſi ad eam ſequeretur aliqua relatio, non eſſet rationis, ſeu fictitia, ſed realis, quia reſultaret ex natura rei, non verò ex fictione intellectus.

Confirm. Illud ens rationis manaret ab illis actibus vitalibus, ſeu denominationibus extrinſecis independenter ab operatione intellectus,vel dependenter. Si independenter, ergo eſſet ens reale, ut patet: ſi dependenter, ergo non manaret à denominationibus, ſed poneretur ab intellectu fingente. Quid autem inde? Non inficiamur, quin poſſit intellectus fingere in objectis denominatis relationes, quaſi eſſent veræ, ſed quæritur, an id neceſſarium ſit ad naturam denominationum intelligendam, & dicimus, quòd non.

Objicies 1. Varias auctoritates Scoti, & aliorum, qui videntur denominationes illas *cogniti*, *viſi*, &c. vocare entia rationis, ergo includunt ſaltem aliquid entis rationis.

Reſp. 1. Scotum, & alios loqui de denominationibus *cogniti*, *voliti*, *viſi*, non prout ſunt in ſe, & primò intentionaliter, atque objectivè, ſeu prout primò, & directè conſiderantur objecta, ſed ſecundò intentionaliter, & formaliter, quales ſunt in intellectu eas conſiderante per actum reflexum. Nam in intellectu, & voluntate ſunt quidem entia rationis, ſicut actus

[1] *ibid.*

actus omnes intellectuales, & cognitiones, & volitiones, non tamen adhuc propriè, nam in rigore ſunt actus reales, & entia realia. Uno verbo: ſunt entia rationis effectivè, non objectivè, quod docet ipſe Scotus, [1] dicens, quòd *ens rationis eſt ens in anima, tanquàm ſecundò conſideratum, non tanquàm primò conſideratum.*

Reſp. 2. Scotum etiam loqui de relationibus, quæ finguntur ab intellectu conferente ſubjecta denominata ad formas, vel potentias denominantes, & fingente relationes in illis. Et id non inficiamur, ſed illæ relationes, vel formæ non ſequuntur neceſſariò naturam denominationum extrinſecarum. Non negamus, quin homo poſſit concipere denominationem *viſi* in pariete, quaſi eſſet intrinſeca per formam aliquam, ver. grat. per viſionem paſſivam inexiſtentem parieti, & correſpondentem viſioni activæ, quæ eſt in oculo, ſed, ut diximus, id procedit à ſolo arbitrio, vel errore hominis, non ex natura denominationum, nec viſionis.

Nota ſecundùm Scotiſtas veteres, quòd ens rationis aliud eſt *formale*, ſeu *actuale*, aliud *materiale*, ſeu *derelictum*, ſeu *potentiale*. *Formale*, ſeu *fabricatum*, ſeu *actuale* eſt illud, quod habet exiſtentiam ab intellectu fingente. *Materiale*, ſeu *derelictum*, ſeu *potentiale* eſt illud, quod non eſt quidem fabricatum de facto, ſed non repugnat fabricari ab eodem intellectu concipiente, vel fingente. Scotus autem, & Scotiſtæ, dum videntur dicere denominationes extrinſecas eſſe entia rationis, loquuntur de *materiali*, ſeu *derelicto*, & *potentiali*, quatenùs intellectus poteſt concipere illas velut intrinſecas, fingendo, aut concipiendo in ſubjectis per eas denominatis aliquas formas impoſſibiles. Hoc ſenſu vocat ens rationis illud eſſe cognitum, quod habent creaturæ in intellectu divino, ſcil. *materiale*, & *derelictum*.

Objicies. Nihil poteſt tranſire de contradictorio in contradictorium ſine mutatione aliqua in ipſo facta, ſed paries, ver. gr. per denominationem extrinſecam *viſi*, aut *cogniti*, tranſit de contradictorio in contradictorium, ergo fit aliqua mutatio in ipſo. Min. patet, quia de non viſo fit viſus.

Reſp.

[1] *in 4. d. 1. qu. 2. ſub B.*

Reſp. diſt. maj Sine mutatione intrinſeca , vel extrinſeca , conc. maj. ſine mutatione intrinſeca, neg. maj. & diſt. min. Paries tranſit de contradictorio in contradictorium per denominationem extrinſecam , conc.min. per intrinſecam , neg.min. & conſeq. Nam ſicut tranſitus fit per denominationem extrinſecam, ita & mutatio, quæ tota conſiſtit in hoc, quòd de non terminante viſionem fit terminans viſionem , & utrunque venit à forma , quæ eſt extra parietem. Quæ autem repugnantia , quòd paries tranſeat de non viſo realiter ad eſſe viſum realiter ſine nova forma reali in ipſo potiùs, quàm ſine nova forma relationis in eodem ? Adverſarii primum admittunt , cur negabunt ſecundum ?

Objicies 3. Si Deus hodie conſtitueret Petrum Monarcham univerſi , ut poteſt , per ſolum actum voluntatis ſuæ, abſq; productione ullius novæ entitatis realis in ipſo , de facto denominaretur ab univerſo , ergo daretur in tali caſu nova denominatio abſque ulla forma nova , niſi adveniret relatio ſaltem rationis , ergo ad denominationes extrinſecas reſultant entia rationis.

Reſp. conc. antec. (de quo non eſt hujus loci decidere, cùm ſpectet ad Theologiam) diſt. conſeq. Daretur nova denominatio extrinſeca petita ab actu voluntatis Dei , conc. conſeq. nova intrinſeca , neg. conſeq. Actus autem voluntatis divinæ non eſſet quidem formaliter quid novum, quia, quidquid eſt in Deo, eſt æternum , & Deus eſt incapax novi actus formaliter, ſed virtualiter , ſeu æquivalenter , & terminativè eſſet quid novum : nam voluntas æterna divina æquivalet omnibus novis volit omnibus humanis . Et certè hæc difficultas ex parte actus divini jam premit adverſarios. Nam eorum erit explicare , primò quid novi accidat , ex quo reſultat illud ens rationis , quod anteà non reſultabat : ſecundò explicent, quomodò Petrus dici poſſet verè , & realiter dominus univerſi per ens rationis purum abſque ullo fundamento reali . Certè quæcunque relatio rationis fingatur reſultare in Petro , ut ſic denominetur , & ſit Rex univerſi , non faciet ſeſola , ut verè , & realiter ſic denominetur.

Idem reſpondetur cum proportione ad ſimiles ob-

jectiones, quæ fieri poſſunt de illo, cui Deus vellet remittere culpam, & pœnam peccati abſque ulla infuſione gratiæ, vel entitatis in eo. Denominaretur immunis à culpa, & pœna per denominationem novam, & veram abſque nova forma, niſi admittatur relatio rationis in illo, qua referatur ad Dei voluntatem, quæ vult illi condonare. Nam illa denominatio extrinſeca venit à Dei voluntate, & in tali ſuppoſitione nihil reale ponitur in homine, & quæcunque fingatur relatio rationis, non faciet, quòd illa denominatio ſit verior. Eſto velis eam talem fingere, per me licet, ſed non facit ad rem, quia ſemper erit vel inutilis, vel arbitraria, nec ſequetur neceſſariò ex denominationibus extrinſecis realibus.

QUÆSTIO VII.

De primis, & ſecundis intentionibus, an ſint entia rationis.

HÆc quæſtio eſt præcipuus ſcopus hujus diſputationis. Nam ob id ſolùm hìc præmiſimus tractatum de ente rationis, ut ſciamus, utrùm primæ, & ſecundæ intentiones, de quibus eſt Logica, ſint entia rationis. Et habet etiam connexionem cum præcedenti. Nam ſecundæ intentiones ſunt quædam denominationes extrinſecæ.

Suppono autem ex dictis in Elementis, *intentionem* eſſe actum, quo quævis potentia tendit in objectum. Sed præcipuè agimus de *intentionibus intellectualibus*, non verò de illis, quæ ſunt à voluntate, vel alia potentia. *Intentio* alia eſt *formalis*, alia *objectiva*, ſeu *materialis*. Illa eſt ipſe actus, quo intellectus reſpicit objectum ſuum: iſta verò eſt materia, ſeu objectum, quod reſpicitur. Ver. gr. dum intelligis hominem, tua intellectio eſt *intentio formalis*, homo verò eſt *objectiva*, ſeu *materialis*.

Rurſus Intentio tàm *formalis*, quàm *materialis* dividitur in *primam*, & *ſecundam*. Prima intentio *materialis*, ſeu *objectiva* eſt res, quæ attingitur ab intellectu ſecundùm ea, quæ habet in ſe, independenter ab omni fictione, vel attributione intellectus, ut quando homo conſideratur non ſolùm ut rationalis,

vel

vel riſibilis, ſed etiam ut cognitus. Prima intentio formalis eſt ille actus intellectus, quo cognoſcit objectum, quale in ſe eſt, ſeu ſecundùm ea, quæ verè, & realiter illi conveniunt independenter ab omni comparatione, ſeu attributione intellectus. Secunda intentio *objectiva* eſt res, quæ cognoſcitur prout affecta aliqua denominatione, quæ illi relinquitur, aut attribuitur ex operatione comparativa intellectus, ut quando dico, *homo eſt ſpecies*, vel *animal eſt genus*, *homo eſt prædicabilis de multis numero differentibus*. Nam tunc *homo* conſideratur prout affectus denominatione illa *ſpeciei*, quæ relinquitur in homine ex actu intellectus, quo comparavit naturam humanam, ſeu vocem illam, *homo*, ut communem multis ſingularibus, verbi gratia *Petro*, *Paulo*, *Joanni*, &c. Secunda verò intentio *formalis* eſt actus ille, quo conſiderantur res prout affectæ hujuſmodi denominationibus.

Suppono etiam cognitionem aliam eſſe *ſimplicem*, aliam *comparativam*. Cognitio *ſimplex* illa eſt, quæ conſiderat rem in ſe; & ſecundùm ſe abſolutè. *Comparativa* autem, quæ conſiderat objectum per ordinem ad aliud. Et quia prius eſt cognoſcere res in ſe, quàm illas comparare inter ſe, ideò cognitiones ſimplices vocari ſolent *primæ intentiones*, comparativæ autem *ſecundæ*, quia iſtæ ſupponunt priores, ſcilicet *ſimplices*, & ideò dicuntur *ſecundæ* in ordine. Sed hoc non placet omnibus Scotiſtis. Aliquibus videtur iſtas non dici adhuc *ſecundas intentiones* propriè in ſenſu, quo hìc de illis loquimur. Nam *ſecundæ intentiones objectivæ*, propriè loquendo, ſunt prædicata, ſeu rationes, ſeu denominationes, ſeu relationes relictæ in objectis ex ea comparatione activa, *formales* verò ſunt actus, ſeu cognitiones, quæ terminantur ad illas denominationes, ſeu prædicata, ſeu relationes. Verbi gratia, cognoſcis Petrum, & Paulum, hæc cognitio eſt *ſimplex*, & *prima intentio*. Tum conſideras eos in hoc convenire, quòd uterque ſit homo, ſeu quòd humanitas ſit utrique communis, & hæc cognitio videtur adhuc ſpectare ad primam intentionem, quia independenter ab intellectu, nihil adhuc in eis conſideratur, quod illis non conveniat. Sed tertiò ex ea comparatione, & conve-

nientia colligis hominem eſſe de utroque prædicabilem, & quòd homo eſt terminus univerſalis reſpectu illorum, quòd univerſale dicitur *ſpecies*, & ſic de cæteris.

Unde iſti [1] definiunt *primam intentionem, objectum actu cognitum quocunque modo, ſecundùm aliquod attributum conveniens illi ex natura rei ante omnem intellectus negotiationem*. Et ſic tàm cognitio *comparativa*, quàm *ſimplex* pertinebit ad primam intentionem, quandiu terminabitur ad objecta ſecundùm ea, quæ illis conveniunt à parte rei, ut ſimilitudo in natura humana, quæ reperitur inter Petrum, & Paulum inter ſe collatos. *Secunda intentio*, ex eorundem ſententia, *eſt quædam denominatio*, ſeu *relatio*, ſeu *comparatio paſſiva reperta inter plura objecta inter ſe comparata in aliquo illis ab intellectu attributo per modum relationis mutuæ, quam fingit inter illa*, verbi gratia, quia cognoſcis Petrum, & Paulum eſſe ſimiles in natura, infers hominem eſſe de utroque prædicabilem, & concipis ex ea comparatione activa, quam facis, quòd reſultat inter ipſos relatio illa unitatis ſpecificæ in conceptu hominis, qui propterea conceptus eſt de utroque prædicabilis in *quale quid complete*. His poſitis ſit

CONCLUSIO.

Nec ſecundæ intentiones formales, nec primæ intentiones objectivæ ſunt entia rationis, imò nec etiam intentiones ſecundæ objectivæ in vero ſenſu, & neceſſario. Eſt ſatis communis quoad primam, & ſecundam. Quoad tertiam verò videtur contra aliquos Scotiſtas.

Prob. 1. pars. Nam intentiones formales, tàm ſecundæ, quàm primæ ſunt actus reales intellectus, ergo non ſunt entia rationis. Conſeq. eſt clara, antec. etiam patet ex omnium conſenſu, qui ſic intelligunt intentiones formales, ex Scoto, [2] qui docet, *quòd in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum*, ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nam primæ intentiones objectivæ ſunt

[1] *Maſtr. diſp. 3. Log. n. 120.*
[2] *in 2. d. 1. q. ſub H. 2. q. de ita, 1. d. 23. B.*

ſunt ipſæ res ſecundùm ſuum eſſe eſſentiæ, quod habent in ſe independenter ab operatione intellectus, & prout illi objiciuntur, & terminant cognitionem ejus, quæ dicitur prima intentio formalis, ſed r es ſecundùm eſſe eſſentiæ, quod habent independenter ab intellectu, non ſunt entia rationis, ergo, &c.

Prob. 3. pars, de qua major videtur eſſe difficultas. Quia ſecundæ intentiones in ſenſu ferè omnium, etiam Scotiſtarum, ſunt aliquæ denominationes extrinſecæ petitæ ex actibus comparativis intellectus, ut communiter deſcribuntur, ſed denominationes illæ extrinſecæ ſecundùm ſe, & in rigore non ſunt entia rationis, ergo nec ſecundæ intentiones objectivæ. Min. patet, & probata manet ex dictis quæſt. præced. Prob. maj. Quia homo ſub denominatione prædicati, vel ſpeciei, v. gr. eſt ſecunda intentio objectiva, ſed hæc denominatio non eſt rationis propriè, ergo, &c. Prob. min. Quia hæc denominatio nihil aliud ſignificat, quàm quòd homo conſideratur, ut conveniens Petro, Paulo, & cæteris individuis naturæ humanæ, velut eorum eſſentia, & ideò eſt prædicabilis de ſingulis, ſed in hoc ſenſu ſecunda illa intentio objectiva nihil eſt aliud, quàm denominatio extrinſeca, & nihil importat, quod non conveniat illi à parte rei, ergo in hoc ſenſu denominatio ſpeciei in homine non eſt ens rationis.

Dixi, *in vero ſenſu, & neceſſario*, quia, qui conſideraret illas denominationes *generis, ſpeciei, prædicati, ſubjecti*, quaſi ſignificantes aliquam relationem veram inter ea, de quibus enuntiantur, ver. gr. ſi velles nomen *ſpeciei* ſignificare aliquam veram relationem inter individua unius naturæ, quæ relinquatur ex actu intellectus, quo illa comparat inter ſe, & cum illa natura communi, verè illa relatio, ſeu comparatio paſſiva eſſet ens rationis, & in hoc ſenſu loquuntur illi Scotiſtæ, & alii, qui volunt ſecundas intentiones objectivas eſſe entia rationis, & in eorum ſententia, & ſenſu loquitur Scotus, quoties illas ſic appellat. Sed dicimus, quòd nihil cogit ad fingendas tales relationes, ſeu comparationes paſſivas, ut diximus qu. præced. de denominationibus extrinſecis.

Objicies 1. Scotum, & Scotiſtas [1] docentes ſecun-

[1] *ex Maſtr. diſp. 2. Metaph. n. 25.*

das intentiones objectivas eſſe entia rationis, & ideò Logicam, quæ tota eſt circa illas, ideò vocari ſcientiam rationalem, ergo ſunt entia rationis, vel diſcedimus à Magiſtro.

Reſp. ut quæſt. præced. Scotum à fortiori potuiſſe dicere de ſecundis intentionibus, quod de extrinſecis denominationibus, ſcil. quia ſic ordinariè concipiuntur, & explicantur, quaſi intentiones formales, & comparationes activę cauſent aliquas comparationes paſſivas, ſeu relationes in objectis, ſed non dixit, quòd de facto cauſent, ſed solùm ſic ſolent explicari, quaſi de facto cauſarent.

Dixi, *à fortiori*, nam ſi hoc contingat ex primis intentionibus, multò magis ex ſecundis, quæ ſunt actus reflexi, & comparativi rationis. Uno verbo: Scotus aſſerit ſecundas intẽtiones eſſe fundamentaliter, & occaſionaliter entia rationis, non verò formaliter.

Objicies 2. Sequitur, quòd omnia prædicata, quæ tribuuntur objectis ex quibuſcunque cognitionibus comparativis, ſunt ſecundæ intentiones, ſed falſum eſt hoc conſequens, ergo, &c. Prob. maj. Nam quando intellectus cognoſcit duo alba, & illa comparat inter ſe, reſultat inde relatio ſimilitudinis, & prædicatur de illis, quòd ſint ſimilia, & ita eſt, dum confert Petrum genitorem ad Joannem genitum, cognoſcit inde naſci relationem patris in uno, & filii in altero, prædicatque de primo, quòd ſit pater, & de ſecundo, quòd ſit filius, & ſic de cæteris, ergo illæ relationes, & illa prædicata erunt ſecundæ intentiones, quia ſequuntur ex actibus collativis intellectus, quod eſt contra omnes Philoſophos.

Reſp. neg. conſeq. & antec. prob. Quia implicante omni intellectu, verum eſſet duo alba eſſe ſimilia, & duos homines ſe reſpicere, ut patrem, & filium, & ſic de ſimilibus, ſed non ita eſt de iis prædicatis, & denominationibus, quæ dicuntur ſecundæ intentiones. Supponunt enim neceſſariò cognitionem reflexam, & comparativam intellectus, à qua denominationes illæ *generis, ſpeciei, prædicati, ſubjecti*, &c. oriuntur.

Objicies 2. Prædicata, quæ ſunt objecta primæ intentionis, conveniunt rebus ſecundùm ſe, & independenter ab intellectu, ea verò, quæ ſunt objecta ſecundæ, non conveniunt rebus, niſi dependenter à com-

comparatione, & attributione intellectus, ergò hæc poſteriora ſunt entia rationis.

Reſp. diſt. conſeq. Sunt entia rationis effectivè, & impropriè, ſicut omnes actus intellectus, conc. conſeq. entia fictitia in rigore entium rationis, neg. conſeq. Nam quantum ad denominationes ex ſecundis intentionibus provenientes, tàm illæ veræ ſunt, quàm quæ ex primis, tàm verum eſt illud prædicatum *animal*, quod voco *genus*, conſiderari ut commune, & prædicabile de pluribus naturis, verbi gratia de *leone*, & *homine*, quàm verum eſt hominem eſſe *animal rationale*, & hoc, licèt non fingam ullam relationem inde reſultantem in *equo*, & *leone* ex hujuſmodi conſideratione, vel prædicatione. Similiter quando dico *paries eſt albus*, ſufficienter cognoſco, parietem eſſe ſubjectum, & albedinem eſſe prædicatum, quàmvis non cogitarem de ulla relatione rationis inter illa duo.

QUÆSTIO VIII.

De cauſis Entis rationis, & primò an habeat veras cauſas.

ENs rationis proprias non habet cauſas, quia non eſt verum ens, & ſolius entis realis eſt habere proprias cauſas. Habet tamen improprias. Et quæſtio procedere poteſt ex quatuor cauſarum generibus, ſcilicet *materiali*, *formali*, *efficiente*, *& finali*. *Materialis* eſt ea pars rei, ex qua res componitur, tanquam ex parte perfectibili, vel in qua res ſubjectatur, ut corpus in homine. *Formalis* eſt alia pars, ex qua res componitur tanquam perfectiva, & diſtinctiva, ut anima in homine. *Efficiens* eſt ea, per quam res fit, ut ignis reſpectu caloris. *Finalis* eſt, propter quam res fit. Quæritur ergo, an ens rationis habeat tales cauſas.

CONCLUSIO.

ENs *rationis habet ſui cauſas in omni genere, & ſuo modo*. Ita ferè communiter, & colligitur ex Doctore, [1] qui ſupponit ſecundas intentiones relationes rationis habere cauſas.

Prob. 1. Quia entia rationis habent ſuo modo exiſtentiam, ſcilicet objectivam in intellectu, ergo & cauſas proportionatas. Anteced. ſupponitur ex omnium conſenſu. Prob. conſeq. Quidquid exiſtit, habet cauſam proportionatam ſuæ exiſtentiæ, excepto Deo, alioqui eſſet à ſe ipſo, & de non exiſtente fieret exiſtens per ſe ipſum, quod implicat. Nam aliquando chimæra non habebat in meo intellectu illud eſſe, quod jam habet, ergo ab aliquo habet, vel à ſeipſo.

Prob. 2. diſcurrendo per ſingulas cauſas. Et primò de *Efficiente*. Certum eſt, quòd, dum concipio chimæram, illa habet eſſe objectivum in meo intellectu per ipſummet intellectum, ſicut cæteri omnes conceptus, quos ipſe efformat, ergo intellectus eſt cauſa efficiens illius entis rationis. Secundò, quando illam concipio, non id facio caſu, & abſque aliquo fine, & de facto ſæpè formamus conceptus rerum impoſſibilium, ut meliùs intelligamus entia realia per oppoſitionem ad impoſſibilia. Tertiò, chimæra efformatur ex duplici natura, *hominis*, & *leonis*, quæ eſt velut materia ejus. Quartò denique unio illa duarum naturarum in unam habet rationem formæ. Ergo ens rationis habet ſuo modo cauſas omnes.

Objicies. Effectus proportionatur ſuæ cauſæ, ſed cauſæ illæ entis rationis ſunt reales, ergo & ens rationis eſſet reale.

Reſp. diſt. maj. Effectus verus proportionatur ſuæ cauſæ directæ, & propriæ, conc. maj. cauſæ impropriæ, & indirectæ, nego maj. & conſequentiam. Sicut ergo ens rationis non habet eſſe exiſtentiæ verum, ac proprium, ita nec cauſas veras, & proprias, & ſic, quàmvis ſint reales, non ſequitur, quòd illud ſit reale.

Objicies 2. Illa cauſalitas eſt vel realis, vel rationis,

[1] *in* 1.*d*.3.*q*.7.*F*.5.*quodl*.1.*H*.& *quodl*.3.*B*.

nis, ſed neutrum dici poteſt, ergo nec quòd ens rationis habeat cauſas. Prob.min. 1. de cauſalitate reali, quia cauſalitas realis terminatur ad effectum realem. 2. de cauſalitate rationis, quia ſic non denominaret cauſam realem, ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ad probationem dico cauſalitatem eſſe realem, impropriam, & indirectam, & terminari non ad rem, ſed ad conceptum rei, qui quidem eſt quid reale, ſed repræſentans quid impoſſibile, & fictitium.

Objicies 3. Quando intellectus fingit entia rationis, ut meliùs cognoſcat entia realia, illud motivum non eſt finis entium rationis, ſed actuum, quibus efformantur, ergo entia rationis non habent cauſam finalem.

Reſpond. diſt. antec. non eſt cauſa finalis per ſe directè, & propriè, conc. antec. indirectè, & impropriè, neg. antec. Nam hoc ſufficit nobis, ut ens rationis dicatur habere cauſam finalem ſuo modo, quia ſicut non habet eſſe verum, & reale in ſe, ſed in intellectu, ita nec bonitatem, per quam intendi poſſit directè, & per ſe.

QUÆSTIO IX.

De cauſa effectrice Entis rationis, quænam potentia efficiat illud.

QUæſtio eſt, 1. an quinque ſenſus externi, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus effingant ens rationis, 2. an ſenſus internus, ſcilicet phantaſia, ſeu facultas imaginativa, 3. an voluntas, & 4. an intellectus. Dum autem de aliis potentiis ab intellectu loquimur, ſumimus ens rationis pro quocunque figmento, quod apprehenditur quomodocunque per modum entis. Certum enim eſt, quòd ens rationis ſtrictè, prout à nobis eſt definitum, nomen illud habet à ſola ratione, & in eo rigore ſermonis eſt à ſolo intellectu.

CONCLUSIO I.

NEc ſenſus externi , nec internus poſſunt facere ens rationis . Eſt communis inter Scotiſtas quoad primam partem, & communior quoad ſecundam , & colligitur ex Doctore , [1] qui ſupponit ens rationis fieri non poſſe, niſi à potentia collativa , & à potentia,quæ poteſt habere actum circa objectum exiſtens, vel non exiſtens.

Probatur 1. de ſenſibus externis, quia hæ duæ conditiones non ſunt in illis. Non enim ſunt potentiæ comparativæ , nec poſſunt percipere objectum non exiſtens , ergo ſenſus externi non faciunt ens rationis.

Prob. 2. Illa potentia non facit ens rationis, quæ non poteſt dare eſſe objectivum in ſe entitali, cui repugnet exiſtere extra illam, ſed ſenſus externi non poſſunt dare tale eſſe objectivum enti , cui repugnet exiſtentia realis extra illos , ergo non poſſunt facere ens rationis. Major patet ex definitione entis rationis. Prob. minor. Tum quia objectum ſenſus externi eſt ſenſibile , ſed eſſe ſenſibile eſt quid reale , ergo, &c. Tum quia objectum formale ſenſuum eſt qualitas ſenſibilis exiſtens à parte rei , unde ſenſus externus non ſentit nequidem rem abſentem , & niſi ſit præſens per ſe, aut per ſpeciem realem ab eo emiſſam , per quam debet immutari ſenſus , & determinari , ergo , &c.

Prob. 2. pars de ſenſu interno. Ens rationis eſt aliquid verè fictitium , cujus totum eſſe eſt objectivum in facultate , ſed nullum ens purè fictitium poteſt efformari à ſenſu interno , ergo, &c. Prob. min. In ſenſu interno nihil eſt , niſi reale, ergo nullum ens purè fictitium ab eo effingi poteſt . Prob. anteced. Nihil eſt in ſenſu interno , quod non fuerit in externis, & quidem per proprias ſpecies, ſed in ſenſibus externis nihil eſſe poteſt , quod non ſit reale , ut dictum eſt , ergo , &c.

Probatur 2. eadem pars. Ens rationis fit per cognitionem rei planè impoſſibilis , ſed nihil planè impoſſibile poteſt eſſe in ſenſu interno, ergo,&c. Prob. min.

Tunc

[1] *quodl. 17. c. & in 1. d. 75.*

Tunc impoſſibile objectum ineſt objectivè in aliqua potentia, quando eſſentia unius rei tribuitur diſtinctè alteri, aut ex duabus naturis eſſentialiter diſtinctis fit unum individuum, non verò, quando apparentiæ, vel accidentia externa unius tribuuntur alteri, ſed ſenſus internus hæc præſtare non poteſt. poteſt quidem confundere apparentias, & accidentia, ſed non naturas, ſeu ſubſtantias, ſicut nec ſenſus externus, illas enim non percipit, ergo, &c.

Prob. 3. tota concl. Ens rationis non fit, niſi à potentia, quæ ipſum percipit, ſed nec ſenſus externus, nec internus percipiunt ens rationis, ergo non faciunt. Min. quoad ſenſus externos à nemine negatur. Prob. de interno. Si phantaſia, ſeu imaginativa perciperet ens rationis, perciperet eſſentias rerum incompoſſibilium, velut poſſibilium, vel exiſtentium, ſed hæc non poteſt percipere, ergo nec entia rationis. Prob. Quia impoſſibilitas alicujus entis conſiſtit in eſſentiis, ex quibus coaleſcit, non verò in apparentiis, ſub quibus concipitur, ver. gr. ens rationis non conſiſtit in hoc, quòd mihi repræſentatur homo in figura leonis, vel equi, hoc enim non repugnat, ſed quòd eſſentiæ equi, & hominis uniantur in unum individuum, ſed eſſentiæ non percipiuntur à ſenſu interno, ergo, &c.

Objicies. Senſus externus poteſt errare, ergo & facere ens rationis. Anteced. patet, quia oculus videt colores in iride, & in collo columbæ, videt concavitatem in tabellis pictis, unum objectum videt multiplicatum compreſſo oculo ex parte aliqua, ergo, &c. Prob. autem conſeq. Nam ea, quæ ſic videntur, nullum habent eſſe præter objectivum in oculo, ergo ſunt entia rationis.

Reſp. neg. conſeq. & antec. probationis. Nam non ſufficit, quòd non habeant aliud eſſe, requiritur, quòd nec poſſint habere, & prætereà debet fieri componendo, ſcilicet uniendo incompoſſibilia, aut dividendo indiviſibilia, quod non facit ſenſus externus. Apprehendit colores veros, ubi non ſunt, & hoc propter apparentias. Videt ergo apparentias colorum, non colores, &, ſi putentur veri, error eſt phantaſiæ, vel intellectus.

Inſt. Poſſet Deus creare colorem uni loco ſic alli-

gatum, ut non poſſet eſſe alibi, & tum oculus poſſet eundem videre alibi, ſed tunc videret impoſſibile, ergo poteſt apprehendere impoſſibile per modum poſſibilis, ergo & facere ens rationis.

Reſp. neg. 2.part. maj. quidquid ſit de prima. Si enim ille color eſſet alligatus loco A, non poſſet oculus eum videre loco B, in quo non eſſet, niſi per alienas ſpecies, & ſic cognoſceret abſtractivè, quod repugnat ſenſui externo, ut dicetur ſuo loco.

Inſt. 2. Oculus videt negationes ſuas, ſeu umbram per modum formæ poſitivæ, ergo, &c.

Reſp. neg. antec. Videt ſolum objectum, non viſa luce, ſed non videt formaliter privationem.

Objicies cont. 2. part. Non poteſt magis fieri ens rationis, quàm cùm apprehenditur homo, ut leo, ſed hoc fit per phantaſiam, v.gr. in ſomniis, ergo ſenſus internus facit ens rationis. Major patet experientia, minor clara eſt: nam in ſomniis ſola phantaſia, ſeu ſenſus internus agit, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Si apprehenſio terminetur ad eſſentias hominis, & leonis, conc. maj. ſi ſolùm ad apparentias, neg. maj. Sed hoc facit phantaſia quoad apparentias, conc. min. quoad eſſentias, neg. min. & conſeq. Nam illa non ſunt impoſſibilia quoad apparentias, ſed quoad confuſionem eſſentiarum.

Inſt. 1. Canis non habet niſi ſenſum internum, ſed canis conjungit eſſentias, ergo ſenſus internus confundit etiam eſſentias. Prob. min. Canis latrat contra ſtatuam, judicans eſſe hominem, ſed hoc eſt confundere eſſentiā hominis cum natura ſtatuę, ergo, &c.

Reſp. neg. utranque min. Canis enim tunc tantùm latrat contra ſtatuam, vel umbram, putans ibi eſſe hominem, prout apparentiam, & ſimilitudinem figuræ exterioris, hoc autem non eſt propriè ens rationis, quia nihil ibi eſt impoſſibile. Eſt quidem error, ſed non omnis error eſt figmentum chimæricum. Deinde quis dixit tibi, quòd canis putet ſtatuam illam eſſe hominem?

CON-

CONCLUSIO II.

Voluntas non *facit propriè ens rationis*. In hac diſſentiunt inter ſe Scotiſtæ, & ſinguli conantur trahere Doctorem in ſuas partes, ſed nobis favet, ut patebit.

Prob. 1. Ens rationis propriè, & rigoroſè eſt conceptus objectivus fictus, ſed voluntas non fingit, ergo non facit ens rationis. Prob. min. Voluntas non fertur in objectum, niſi prout ſibi repræſentatur ab intellectu, ergo ipſa non fingit. Poteſt quidem amare, vel odiſſe impoſſibile repræſentatum per modum poſſibilis, v.g. hircocervum, aut chimæram, ſed non poteſt ea ſibi objectivè proponere: non eſt capax conceptus formalis, ergo nec objectivi.

Prob. 2. Ens rationis fit, quando datur eſſe objectivum rei impoſſibili, ſed voluntas non poteſt dare eſſe objectivum rei impoſſibili, ergo nec facere ens rationis. Ma. patet ex definitione entis rationis. Prob. mi. quia, ut dicebamus, voluntas non eſt potentia cognoſcitiva, ſupponit objectum ſuum formatum, & cognitum ab intellectu illud ſibi repræſentante, ergo, ſi voluntas fertur in ens rationis, fertur in illud ut factum, & ut exiſtens in intellectu. Apprehendere autem ens rationis, & factum ab alio, non eſt facere illud, ergo, &c.

Objicies 1. auctoritatem Doctoris, [1] qui docet, potentiam collativam unius objecti ad aliud eſſe factivam entis rationis, ſed hoc facit voluntas ex eodem Doctore. Nam poteſt comparare unum objectum ad alterum, non quidem per modum judicii, ut intellectus, ſed per modum acceptationis, aut ordinis, ut cum vult media propter finem, aut cum eligit inter illa, quæ videntur aptiora, ergo voluntas poteſt facere ens rationis.

Reſp. ex ipſomet Doct. ibid. Relationem cauſatam ex voluntatis comparatione, de qua ibi loquitur, non eſſe realem, nec rationis ſtrictè. Do ejus verba. *Certum eſt*, inquit, *quòd voluntas eſt talis potentia collativa, & comparativa, ita benè, ſicut potentia intellectiva, & certum eſt, quòd utraque iſtarum potentiarum*

[1] *In 1. d. 45. q. un. D. n. 4.*

rum poteſt objectum ſuum comparare, & in objecto ſuo cauſare relationem, non realem, quia ſic eſſet ibi ex natura rei, ſine omni comparatione, nec relationẽ rationis ſtricte ſumptã pro relatione cauſata ab intellectu. Vult igitur tantùm, quòd illa comparatio cauſet relationem rationis inter objecta comparata, non ſtrictè, & formaliter, ſed largè, & fundamentaliter, ſeu *ſecundùm dici*, ut de ipſo intellectu diximus ſupra, quatenus præbet per hoc occaſionem intellectui fingendi ibi relationem aliquam: ideò addit, [1] *Licèt eam quandoque concomitetur relatio rationis cauſata ab intellectu*. Scotus ergo apertè favet nobis.

Inde magis confirmatur noſtra ſententia. Nam ſi ex illa comparatione voluntatis, quæ eſt actus realis, reſultaret aliqua relatio inter objecta comparata, vel reſultaret à parte rei, ſeu ex natura talis comparationis realis, & ſic eſſet ipſa realis (ex principiis Scoti) vel fingeretur, ſeu conciperetur reſultare, quod non eſt proprium voluntatis, ſed ſolius intellectus, ut innuit idem Doctor ſubtilis, ergo, &c.

Objicies 2. Voluntas dat eſſe objectivum in ſe rei, quæ non habet aliud eſſe, quàm illud eſſe objectivum, ſed nihil aliud requiritur ad fabricam entis rationis, ergo voluntas facit ens rationis.

Reſp. diſt. maj. [2] Amando, vel fugiendo illam, ut ſibi propoſitam ab intellectu, conc. maj. ut à ſe conceptam, & confictam, neg. maj. Sed nihil aliud requiritur, modò ab illa concipiatur ut poſſibilis cõc. min. ſi tantùm ad eam tendat ut ab alio conceptam, & confictam, neg. min. & conſeq.

Inſt. Poteſt voluntas ex ſua libertate fingere bonitatem in objecto, in quo nec eſt, nec eſſe poteſt, nec illi ab intellectu proponitur, ergo poteſt per ſe ipſam fingere impoſſibile. Ant. eſt Doctoris, qui docet, voluntatem poſſe ſibi præfigere finem aliquẽ non verũ.

Reſp. neg. ant. Nam voluntas non fertur in incognitum, nec poteſt concipere, ſeu fingere veram bonitatem, quæ ſibi non fuerit ab intellectu propoſita. Licèt enim voluntas pro ſua libertate ſibi præfigat finem ultimum in eo, quod non debet, nec poteſt eſſe talis finis, tamen in eum fertur, quia ſibi oſtenditur *à ratione errante tanquam finis ultimus, vel finis præſtitu-*

[1] *ibid. E.* [2] *in* 1. *d.* 1. *q. a.* 3. *&* 4. *D. n.* 4.

ſtitutus, quem ſcil. voluntas ex libertate ſua vult tanquã finem ultimum. Quod clariùs patet ex his verbis, *In fruitione inordinata finis apparentis, ratio finis concomitatur apparenter objectum fruibile, & fortè in apprehenſione prævia præcedit fruitionem eliciendam quaſi ratione objecti elicitus.* [1] Quid clarius ad oſtendendum, quòd bonum, quod ſibi præfigit, ſeu præſtituit voluntas, habet apparentiam bonitatis, per quam allicitur, & illa apparentia repræſentatur illi per intellectum *in apprehenſione prævia, quę præcedit fruitionem*, ſeu actum voluntatis? ergo voluntas non effingit bonitatem, ſed tantùm pro libertate ſua præfert bonitatem illam apparentem reali, & veræ.

Objicies 3. Voluntas appetere poteſt ſimplici affectu æqualitatem Dei, ſed illa æqualitas eſt ens rationis, ſeu impoſſibilis, ergo voluntas facere poteſt entia rationis.

Reſp. diſt. ma. Æqualitatem ſibi ab intellectu propoſitam, conc. maj. à ſe confictam, neg. maj. & min. Nam appetere impoſſibile ſibi ab intellectu propoſitum, non eſt facere ens rationis propriè.

Inſt. Intellectus cognoſcendo chimæram ab alio confictam facit ens rationis, quia dat eſſe objectivum rei impoſſibili, ergo & voluntas appetens impoſſibile, licèt ab intellectu jam fictum, facit ens rationis.

Reſp. neg. conſeq. Quia intellectus ex ſua ratione agendi, non ſupponit illam chimæram ab alio eſſe confictam, ſaltem neceſſariò, ſed poteſt per ſe primò fingere: at voluntas de ſe nihil poteſt fingere, & primò concipere, nec tendere in objectum, niſi ab intellectu conceptum, & ſibi propoſitum.

CONCLUSIO III.

Solus intellectus poteſt facere ens rationis. Hæc ſequitur ex dictis, & quantum ad id, quòd intellectus faciat ens rationis, eſt communis. Fatentur enim omnes, quòd ſi ulla facultas facere poteſt ens rationis, maximè intellectus id poteſt. Quantum verò ad id, quòd hoc illi ſoli competat, videtur eſſe mens Doct. [2] non ſolùm ex textibus allatis, ſed etiam ex definitione, quã tradit de ente rationis, docens, ens rationis eſſe hoc, *præcisè habens eſſe ab intellectu conſiderante.*

QUÆ-

[1] *ibid. E.* [2] *Quodlib. 3. A.*

QUÆSTIO X.

Per quos actus fiat ens rationis.

INtellectus plures habet actus, præcipui ſunt hæ tres operationes, quarum prima dicitur *ſimplex Apprehenſio*, 2. *Judicium* etiam *ſimplex*, & 3. *Diſcurſus*, de quibus jam diximus, quid ſint.

2. Alii *actus* ſunt *recti*, *reflexi*, & *comparativi*. Actus *recti* ſunt illi, per quos directè cognoſcit res in ſe, non reflectendo ſupra ſuam cognitionem, ut cum reſpicio Petrum, lapidem, aurum, &c. *Reflexi* è contra, quando conſiderat res ut à ſe cognitas, ut cum conſidero Petrum quatenus cognitum, & repræſentatum in meo intellectu. *Comparativi* ſunt illi, quibus res conſiderat in ordine ad alias, v.g. patrem in ordine ad filium, ſervum in ordine ad dominum, &c.

Rurſus *comparativi* ſunt, vel *ſimplices*, quando intellectus apprehendit unum in ordine ad aliud ſine affirmatione, aut negatione, vel *compoſiti*, quando id facit affirmando, vel negando, v.g. cum dico, *pater eſt ſapientior filio*.

4, Alii vocantur *Aſſenſus*, quibus adhæret alicui propoſitioni, alii *Diſſenſus*, quibus negat adhærere alicui propoſitioni. His poſitis, quæritur, an ens rationis fiat per primam operationem, qua ſimpliciter apprehenditur aliquid impoſſibile abſque affirmatione, vel negatione, an per aſſenſum, aut diſſenſum, an per actum directum, vel reflexum, an per actum comparativum ſimplicem, vel compoſitum.

CONCLUSIO.

E*Ns rationis fit per omnem actum intellectus, per quem cognoſcitur.* Eſt plurium Scotiſtarum contra Thomiſtas, qui volunt, ens rationis non fieri, niſi per actum falſum.

Prob. Per illum omnem actum intellectus fit ens rationis, per quem illi datur tota exiſtentia, quam habere debet, ut tale, ſcil. eſſe objectivum in ipſo intellectu, ſed per omnem actum, per quem cognoſcitur, datur

tur

tur illi totum eſſe,quod debet habere,ut tale ,ſcil.objectivum, ergo per illos omnes actus fit ens rationis, per quos cognoſcitur. Maj. clara eſt. Nec enim magis quidquam fieri poteſt, quàm per id , & eo modo,quo accipit totum eſſe, quod habere debet.

Prob.min. Ens rationis, ut tale,nullum aliud eſſe debet habere , præter objectivum in intellectu , ſed habet illud eſſe per omnem actum , per quem cognoſcitur , ergo , &c. Major continet definitionem entis rationis . Min. etiam patet. Nam conceptus formalis, ſeu cognitio habet conceptum objectivum , ſcil. id, ad quod terminatur , ſeu id , quod per eam cognoſcitur , ergo ens rationis fit conceptus objectivus illius actus, per quem cognoſcitur.

Objicies 1. Ens rationis non fit per actus ſpeculativos, ſed per practicos , ſed non omnes actus , per quos cognoſcitur ens rationis, ſunt practici , ergo ens rationis non fit per omnes actus , per quos cognoſcitur. Major patet, quia actus dicitur practicus , quo fabricatur ſuum objectum, & ſpeculativus, quia ſiſtit tantùm in contemplatione ejus. Prob. mi. Qui cognoſcit chimæram ut impoſſibilem , vel ut fictam ab alio , vel ſaltem ſimplici apprehenſione, & abſque judicio, non habet actus practicos circa ens rationis , ergo omnes actus, quibus cognoſcitur ens rationis, non ſunt practici.

Reſp. neg.min. & ant. probationis, quidquid ſit de majori , & ejus probatione , quia non admittimus illam explicationem practici. Ratio negati eſt , quia de ratione talis objecti eſt , ut non poſſit cognoſc, per ullum actum,per quem non detur illi totum eſſe quod habere poteſt, non ita eſt de aliis objectis cognitis,quæ cum aliud eſſe habeant, vel habere poſſint extra intellectum cognoſcentem , ideò non dicuntur fieri per actus omnes, per quos cognoſcuntur.

Objicies 2. Per eum actum non fit ens rationis, per quem deſtruitur , ſed per actum diſſenſus , & per actus veros deſtruitur, ergo per illos non fit. Prob. min. Quando dico,chimæra eſt impoſſibilis,chimæra non exiſtit, deſtruo chimæram,concipio res,ut ſunt, & deſtruo exiſtentiam chimæræ , ergo per actus diſſenſus, & veros deſtruitur ens rationis.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. probationis. Deſtruo

exi-

exiſtentiam realem chimæræ, conc ant. exiſtentiam intentionalem, & objectivam, neg. ant. & conſeq. Non enim poſſum dicere, chimæram eſſe impoſſibilem, & non exiſtere realiter, quin illam cognoſcam, nec cognoſcere, quin illi dem eſse intentionale, ſeu objectivum in intellectu.

Inſt. Tunc non fit ens rationis, quando apprehenduntur res, ut ſunt, ſed cum dico, chimæra eſt impoſſibilis, &c. per omnes actus veros apprehenduntur res, ut ſunt, ergo per illos actus non fit ens rationis.

Reſp. diſt. maj. Si nihil aliud apprehenditur præter entia realia, & vera, conc. maj. ſi aliquid apprehenditur, quod non ſit verum ens, neg. maj. Sed per actus veros apprehenduntur res, ut ſunt, & res, quæ non ſunt, nec eſſe poſſunt, conc. min. & nihil aliud apprehenditur, quàm res, quæ ſunt, & quales ſunt, neg. min. Nam non poſsum apprehendere impoſſibilitatem chimæræ, quin apprehendam ipſam chimæram, & ſic de cæteris entibus rationis.

Colligis ergo, Fieri ens rationis per primam operationem, ſicut per ſecundam, & tertiam, quia ſimplex apprehenſio chimæræ dat illi eſſe objectivum. Item per actum *rectum*, ſicut per *reflexum*, per *ſimplicem*, ſicut per *comparativum*, & per *diſſenſum* æquè, ac per *aſſenſum* propter eandem rationem.

Moneo verò, totam hanc difficultatem eſse multùm de nomine. Pendet enim ab eo, quod intelligitur per *facere ens rationis*. Nam ſi per hoc nihil aliud intelligas, quàm dare ens objectivum in intellectu alicui rei, cui repugnat omnis alia exiſtentia extra illum, ut communiter intelligunt Scotiſtæ, & alii plures, veriſſima eſt noſtra concluſio, ſi autem per hoc intelligas judicium falſum, & erroneum, quo aſseritur poſſibilitas, vel exiſtentia rei impoſſibilis, aut negatur exiſtentia rei neceſsariæ, v.g. exiſtentia Dei, vel ejus æternitas, &c. verè dicunt Thomiſtæ, & alii. Et ab hoc etiam pendet ſolutio ſequentis quæſtionis famoſæ.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

An Deus cognoſcat, & faciat Ens rationis.

CErtum eſt, Deum non poſſe cognoſcere, nec facere ens rationis per actum falſum, vel erroneum, vel confuſum. Hoc enim repugnat ſummæ, ac infinitæ illius ſapientiæ. Non dubium, quin illud cognoſcat in meo intellectu, quando ibi eſt objectivè, ut cognitum. Tota difficultas eſt, an illud cognoſcat per ſe, immediatè, & directè, & independenter à cognitione creata.

CONCLUSIO I.

D*Eus cognoſcit entia rationis tam directè, & immediatè, & per ſe, quàm indirectè, & mediatè.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. *Comparatio cuiuſcunque intrinſeci in Deo ad quodcunque extrinſecum, cum ſit reſpectus rationis, habet eſſe ſuum primum, & proprium per actum alicujus intellectus comparati: ſed quodcunque intrinſecum poteſt ad quodcunque extrinſecum per quemcunque actum intellectus creati comparari, ad illud idem comparari poteſt per actum intellectus divini*, &c. Ergo ex Scoto intellectus Dei poteſt facere illud ens rationis.

Prob. de cognitione indirecta, & mediata, Nam Deus cognoſcit id, de quo jam loquimur, & quod cogitamus, ſed illud eſt ens rationis cognoſci mediatè, & indirectè, ergo Deus cognoſcit ens rationis mediatè, & indirectè. Maj. prob. Deus cognoſcit actus noſtros comprehenſivè, ideſt, perfectiſſimè, & quoad omnia, quæ quovis modo ad eos pertinēt, ſed ens rationis, de quo loquimur, pertinet ad actus noſtros reales cognitionis, & diſputationis, ergo, &c.

Dices: Deus cognoſcit objecta realia, non verò imaginaria, & falſa. *Contra*. Etiam imaginaria, & falſa, ſeu chimærica ſunt objectum noſtræ diſputationis, ergo vel non illam comprehendit, vel cognoſcit entia chimærica, quæ cogitamus.

Prob. 2. eadem pars. Si Deus non cognoſceret, faltem

tem indirectè, ens rationis, non poſset cognoſcere omnem propoſitionem veram, ſed falſum conſequens, ergo cognoſcit, ſaltem indirectè, ens rationis. Prob. ſeq. maj. Propoſitio non poteſt cognoſci vera, v.g. *chimæra eſt impoſſibilis*, niſi cognoſcatur conformitas ejus cum objecto, ſed ſi Deus non cognoſcat ens rationis, ſaltem mediatè, & indirectè, non cognoſcit conformitatem hujus propoſitionis cum objecto ſuo, ergo, &c. Prob. min. Non poteſt cognoſci conformitas hujus propoſitionis, *chimæra eſt impoſſibilis*, niſi cognoſcatur ejus objectum, ſed chimæra eſt ejus objectum, ergo, &c.

Prob. 2. pars. 1. Implicante omni intellectu creato, Deus cognoſcit, quòd chimæra eſt impoſſibilis, ergo Deus cognoſcit ens rationis directè, & immediatè, per ſe, & independenter ab intellectu creato. Prob. ant. Abſurdum enim eſt dari aliquam veritatem, qualis eſt illa, quam Deus per ſe non poſſit cognoſcere, ergo, &c.

Prob. 2. In Deo ſunt omnia judicia, & veritates independenter à creatura, ergo & iſtud, *chimæra eſt impoſſibilis*, ſed tale judicium non poteſt eſſe in Deo independenter à creatura, niſi poſſit cognoſcere immediatè chimæram, ergo, &c.

Prob. 3. Quia in Deo debemus agnoſcere omnem cognitionem, quæ non involvit ullam imperfectionem, ſed hæc talis eſt, ergo admittenda eſt in Deo. Maj. non poteſt negari ſine errore, & impietate, quia cum Deus ſit infinitè perfectus, nulla perfectio illi deeſſe poteſt. Prob. min. Quid enim imperfectionis in Deo eſt cognoſcere impoſſibilitatem hircocervi, impoſſibilitatem alterius Dei, veritatem neceſſariam hujus propoſitionis ab eo revelatæ, *Et non eſt alius Deus*, &c.? Imò ſumma eſt perfectio, quòd omnia, & omnimodè cognoſcat, etiam minutiſſima, & imperfectiſſima, & tam impoſſibilia, quàm poſſibilia, ergo, &c.

Objicies. Si Deus cognoſceret ens rationis, faceret illud, ſed non poteſt facere, ergo nec cognoſcere. Prob. min. Qui facit ens rationis, cognoſcit res aliter, quàm ſint, ſed illud repugnat Deo, ergo, &c.

Reſp. neg. min. primi argumenti (alii negarent ma-

majorem) & min. ſecundi, & ratio negati patet ex dictis.

CONCLUSIO II.

D*Eus facit ens rationis, etiam directè, & immediatè*. Hæc concluſio evidens eſt ex præcedentibus. Nam Deus cognoſcit entia rationis, etiam directè, & immediatè, ut patet ex præcedenti concluſione, ſed cognoſcere entia rationis eſt facere, ut patet ex quæſtione altera, ergo Deus facit entia rationis, etiam directè, & immediatè.

Objicies. Qui cognoſcit objectum ab alio fictum, non facit illud, ſed tantùm ſpeculatur, ſed Deus cognoſcendo ens rationis cognitum mediatè, cognoſcit ut ab alio fictum, ergo tunc non facit illud.

Reſp. diſt. maj. Si non det illi eſſe objectivum in ſuo intellectu, non facit illud, & item non facit illud eodem modo, conc. maj. ſi det illi tale eſſe, & non faciat illud eodem modo, nego maj. & conſeq. Deus ergo cognoſcendo chimæram à me fictam, dat illi eſſe objectivum in ſuo intellectu, & ideò facit, ſed non eodem modo, quia ego facio chimæram per aſſenſum, per fictionem, aut ex alio principio imperfecto, Deus verò cognoſcit per diſſenſum, per judicium verum, & abſque ulla imperfectione.

QUÆSTIO XII.

An Angeli, & Beati cognoſcant, & faciant entia rationis.

ANgelorum intellectus, & ſcientia, quantum ad naturalia ſpectat, non ſunt incapacia multorum defectuum, ex quibus poſſet oriri fabrica entis rationis per actus imperfectos. Ideò quidam Philoſophi exiſtimarunt, eos facere ens rationis per cognitiones obſcuras, & imperfectas, non verò per ſcientificas. Idem erit de Beatis. Quid hìc ſentiendum ſatis liquet ex dictis, ideò ſit

CON-

CONCLUSIO.

Tam Angeli, quàm Beati poſſunt cognoſcere, & facere ens rationis.

Prob. Quia ſi ſit aliqua perfectio in Deo cognoſcere entia rationis, à fortiori erit in intellectu Angelico, & Beato, cum ſit in hominibus, & eadem cognitio non poteſt repugnare illis ratione alicujus imperfectionis, præter errorem, qui repugnat illorum ſtatui beatifico. Cùm ergo Deo non repugnet fabrica entis rationis, neque etiam repugnabit Angelis, aut Beatis. Nec quidquam objici poteſt contra hanc concluſionem, quod non fuerit ſolutum in prçcedentibus. Ideò his ampliùs non immorandum. Ad materias magis proprias Logicæ accedamus.

DISPUTATIO III.

De Univerſalibus in communi.

HActenus proluſimus circa Logicæ objectum, ac materiam, nunc propiùs accedimus, quàmvis tractatus de Univerſalibus non ſit adhuc intra Logicam Ariſtotelis, quippe illam inchoavit à Prædicamentis, ſed potiùs introductio ad Logicam illam. Nam tractatum hunc, Iſagogen Porphyrianam vulgò appellant Philoſophi, ſcilicet introductionem, quam conſcripſit Malchus Porphyrius natione Phęnix, Tyrius, aut Judæus, ſecta Platonicus, religione quondam Chriſtianus, deinde Apoſtata perditiſſimus, conſcripſit, inquam, librum hunc, in quo explicat quinque voces ad intelligentiam Prædicamentorum Ariſtot. perneceſſarias. Hæ ſunt *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*, quæ dicuntur Univerſalia. Nos primùm Univerſale in communi explicabimus, quòd libri hujus objectum ſtatuant Scotiſtæ, tum ad eas voces in particulari deſcendemus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Univerſale.

Vox, *Univerſale*, ſignificat unum quid multa reſpiciens. Aliud eſt *complexum*, aliud *incomplexum*. Univerſale *complexum* eſt propoſitio, ex qua plures aliæ inferuntur, ut *omne totum eſt majus ſua parte,* vel quæ notatur ſigno aliquo univerſali,ut *omnis homo eſt animal*, &c. Univerſale *incomplexum* eſt vox, ſeu terminus ſignificans aliquid commune multis, ut *homo, animal*, &c.

Incomplexum quadruplex eſt,ſcil.in *eſſendo*,in *cauſando*,in *prædicando*, & in *repræſentando*. Univerſale in *eſſendo*, eſt unum quid aptum ineſse multis, ut *humanitas*, ,quæ eſt in Petro,Paulo,&c. In *prædicando* eſt unum quid aptum prædicari de multis, ut *homo*, qui prædicatur de Petro, Paulo, &c. In *cauſando* eſt unum, quod poteſt cauſare multos effectus, ut *Deus*,qui omnia producit,*Sol*,qui concurrit ad omnes productiones terrenas,&c. In *repræſentando*,ſeu *ſignificando*,eſt vox multa ſignificans, ut *canis*,qui ſignificat animal domeſticum,marinum,& ſidus. Univerſale in *eſſendo* dicitur *Metaphyſicum*, univerſale in *prædicando* dicitur *Logicum*. De his duobus hic agimus, quia *Metaphyſicus* conſiderat eſſentias in communi, & abſtractas, *Logicus* verò conſiderat modos, quibus poſſunt de ſe invicem,aut de inferioribus prædicari in ordine ad conficiendas bonas propoſitiones, definitiones, diviſiones, & argumentationes.

CONCLUSIO.

Univerſale ut ſic,& prout de illo hic agimus, eſt unum aliquid aptum ineſse, & prædicari de multis univocè. Ita communiter.

Prob. explicatione ſingularum particularum. Dicitur 1. *Aliquid*,& id ponitur loco generis. Nam per id convenit cum omnibus entibus realibus, ſeu non chimæricis. 2.*Unum*,ſeu non compoſitum,aut aggregatum ex pluribus entibus diverſorum Prædicamentorum,ut album, quod eſt compoſitum ex ſubſtanta,& albedine,quæ eſt accidens de genere qualitati s.

3. *Aptum*

3. *Aptum ineſſe multis*, & quidē cum multiplicatione reali, ſicut *animal*, quod ineſt homini, leoni, bovi, &c. & in ſingulis dividitur, & multiplicatur realiter. 4. *Et prædicari*, quia hoc ipſo, quòd animal ineſt illis multis, de ſingulis poteſt verè prædicari. 5. *Univocè*, quia natura, quæ dicitur univerſalis, debet participari ab iis, quibus eſt communis ſecundùm eandem rationē, & per conſequens debet de illis prædicari univocè.

Hinc colligis, quatuor conditiones requiri ad verum univerſale, 1. Ut ſit *aliquid* poſitivum, & non fictum, per quod excluduntur negationes, privationes, & entia chimærica. Licèt enim dari, aut concipi poſſit aliquis conceptus communis entis rationis, ut ſic, & idem eſt de privationibus, & negationibus, tamen de illis hìc non agitur, ſed tantùm de illis, quæ faciunt ad cognitionem Prædicamentorum, quæ ſunt entia realia poſitiva.

2. Ut illud *aliquid* ſit etiā *unū*, quod reperiatur in illis, reſpectu quorum dicitur univerſale. Si enim ſit diverſum in multis, non eſt verè univerſale. V. g. nomen *canis*, non eſt univerſale quod reſpectu animalis domeſtici, & marini, & ſyderis, quia non eſt unum quid in eis, ſed diverſiſſimum; non ita eſt de homine, qui eſt unum, quoad eſſentiam, in Petro, Paulo, &c.

3. Ut illud *aliquid unum* ſit aptū ineſſe multis cum ſui diviſione, & multiplicatione, ut homo ineſt Petro, Paulo, & Joanni, qui ſunt tres homines realiter, & numericè. Et hujus conditionis defectu, natura divina eſt quidem communis reſpectu trium perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed non eſt univerſalis, quia non communicatur illis cum ſui multiplicatione, ideò non ſunt tres Dii, ſed unus.

4. Ut ſit proximè *aptum prędicari de multis*, & hoc eſt ſpeciale pro univerſali Logico. Nam tres priores conditiones ſunt communes tàm Metaphyſico, quàm Logico. Ad hoc autem, ut natura aliqua, una, communis, ſit proximè apta prædicari de multis, debet cognoſci ineſse illis ſecundùm eam rationem.

Univerſale igitur eſt nomen concretum dicens pro materiali naturam aliquam ſubſtratam univerſalitati, pro formali verò univerſalitatem, ſeu unitatem illam, ſecundùm quam reſpicit multa actu, vel aptitudine.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An detur Univerſale.

SEnſus quæſtionis eſt, an detur aliqua natura, quæ ſit una in ſe, & tamen ad plura reſpiciat, & in pluribus reperiatur, & de illis prædicetur. Quidam exiſtimarunt, dari de facto naturas quaſdam univerſales realiter exiſtentes extra ſingularia, quæ ſint velut *Ideæ*, & exemplaria, ad inſtar quarum naturæ ſingulares efformantur, & ideò vocantur *Ideæ*, & quidem Platonis, quia hæc opinio tribuitur Platoni ab Ariſtotele, ſed immeritò, ut placet cæteris ferè omnibus Philoſophis. Nec enim credibile eſt, virum ingenio ſublimem in abſurdam adeò ſententiam abiiſſe. *Ideas Plato vocat*, inquit Seneca, [1] *ex quibus omnia, quæcunque videmus, fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, immobiles ſunt. Quid ſit idea, id eſt, quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum.* Hæc ultima verba denotant Platonem admiſiſſe ideas æternas in mente divina, ut omnes Theologi admittunt, ſed non creatas extra ſingularia exiſtentes. Idem ſentit Doctor de Platone. [2]

Alii putarunt, non dari alia univerſalia, præter voces quaſdam, aut conceptus formales, qui pluribus convenire poſſunt, non verò naturas, ſeu res ullas, v.g. *homo*, non aliter convenit *Petro*, *Paulo*, *Joanni*, &c. quam penes vocem, ſeu nomen, aut ad ſummum penes conceptum formalem, quem habeo de illo, qui conceptus convenire poteſt multis. Sic loquebantur aliqui veteres, & Cratylus, Democritus, Heſiodus, & alii, quos vocamus propterea *Nominales*, & quorum princeps fuit noſter *Gulielmus Okamus* Scoti Diſcipulus, & adhuc hodie multi recentiores. Alii tenent dari naturas verè communes, & pluribus inexiſtentes cum vera aliqua unitate.

[1] *Epiſt.* 58. [2] *Et.* 1. *d.* 35. 1. *n.* 15.

CONCLUSIO I.

Non dantur naturæ communes realiter exiſtentes extra ſingularia, ſeu, *non dantur ideæ Platonis*. Ita communiter.

Prob. 1. Quia tales naturæ, ſeu ideæ ſunt æternæ, vel temporales, ſeu increatæ, vel creatæ, ſed neutrum dici poteſt, ergo non ſunt admittendæ. Prob. mi. 1. Si eſsent æternæ, & extra Deum, admitterentur quædam entia realia, & univerſalia, & æterna extra Deum, quod eſt contra fidem, & damnatum in Concilio Conſtantienſi contra Jo. Hus, quatenus inde ſequitur aliquid reale eſse ab æterno, quod nec eſt Deus, nec creatura, item & à Guillelmo Pariſienſi, an. 1240. & 1276. & ab Innoc. III. contra Amatricum dicentem, *primordiales rerum cauſas, quæ vocantur Ideæ, creare, & creari*. [1]

Prob. 2. Naturæ univerſales, quas tractamus, ſunt eſſentiæ rerum ſingularium, v. g. natura humana, quæ dicitur univerſalis, eſt natura Petri, Pauli, Joannis, &c. ſed eſſentiæ rerum nequeunt à rebus ſeparari, ergo non dantur illæ univerſales naturæ ſeparatæ. Prob. min. Quia idem nequit ſeparari à ſeipſo, ergo eſſentia nequit ſeparari à re, cujus eſt; eſt enim ipſa res.

Prob. 3. Naturæ, quæ denominantur univerſales, debent prædicari de ſuis ſingularibus, ſed natura ſeparata nō poteſt ſic prædicari, ergo non eſt verè univerſalis. Ma. patet ex definitione univerſalis. Prob. min. Quia quidquid prædicatur de alio, debet eſſe illi identificatū, aut inexiſtens, ſed natura ſeparata à ſingularibus, nec illis idētificatur, nec inexiſtit, ergo, &c.

Prob. 4. Quia illæ naturę, vel ſunt creatæ, vel increatæ: ſi primum, ergo ſunt Deus ipſe, nihil enim increatum, niſi Deus: ſi creatæ, ergo per actionem realem, & ſingularem, ergo & ipſæ ſunt ſingulares.

Objicies 1. Quod unitur ſingularibus, eſt corruptibile, ſed naturæ univerſales ſunt incorruptibiles, ergo non exiſtunt in ſingularibus, ſed ſeparatæ.

Reſp. diſt. maj. Eſt corruptibile quoad exiſtentiam, conc. major. quoad eſſentiam, nego maj. & conſeq.

Inſt.

[1] *Apud Jo. Gerſon de concor. metaph. hoſt. de ſſ. Trin. §. reprobamus.*

Inſt. Corruptibile, & incorruptibile ſunt ſeparata; ſed eſſentiæ ſunt incorruptibiles, & ſingularia ſunt corruptibilia, ergo eſsentiæ, & ſingularia ſunt ſeparata.

Reſp. diſt. maj. Corruptibile ſecundùm eſſentiam, & incorruptibile ſecundùm eſsentiam, conc. ma. corruptibile quoad exiſtentiam, & incorruptibile ſecundùm eſſentiam, nego mai.

Inſt. 2. Intellectus ita concipit naturam univerſalem, v.g. humanitatem, ac ſi eſſet realiter diſtincta à ſingularibus, ergo vel fallitur ſic concipiendo, & ſic univerſale eſt purũ ens rationis, vel ita res ſe habet.

Reſp. diſt. conſequens. Fallitur, ſi affirmet illam diſtinctionem realem, conc. conſeq. ſi tantùm ſic concipiat naturam humanam, quæ dicitur univerſalis, non conſiderando ſingularia, & abſque affirmatione ſeparationis, neg. conſeq. Sic autem id fit. Intellectus concipit humanitatem ſecundùm prędicata ſua eſſentialia, ſcil. prout eſt animal rationale, ſecundùm quæ prædicata reperitur eadem formaliter in Petro, Paulo, Joanne, &c. non conſideratis petreitate, pauleitate, joanneitate, &c. uno verbo, differentiis individualibus, quibus realiter identificatur, & multiplicatur, ſed non aſſerit ullam ſeparationem dictæ naturæ ab illis.

Objicies 2. Si univerſalis natura exiſteret in ſingularibus, redderet illas univerſales, ſicut albedo reddit ſubjecta ſua alba, ſed falſum conſequens, ergo eſt ſeparata.

Reſp. neg. conſeq. Quia natura, quæ denominatur univerſalis, eſt in ſingularibus, velut natura ſuperior in inferioribus, non verò ut accidẽs, vel forma in ſubjecto, & univerſalitas convenit illi, ut ſupponit ſimpliciter, non verò perſonaliter; unde non ipſa reddit univerſalia, ſed ab eis multiplicatur, & fit ſingularis.

Objicies 3. Niſi naturæ univerſales exiſterent realiter, non daretur de illis ſcientia, conſ. falſum, ergo & antec. Prob. maj. Quia ſcientia non eſt, niſi de objecto immutabili, & incorruptibili, ac æterno, ſed ſingulares naturæ non ſunt tales, ergo non daretur de illis ſcientia.

Reſp. neg. ſeq. maj. & diſt. maj. probationis. Scientia

eſt de objecto immutabili,&c. quoad eſsentiam, ſeu quoad connexionem neceſsariam prędicati cum ſubjecto,conc.maj. quoad exiſtentiam, neg. maj.& conſeq. tales ergo ſunt naturæ omnes, quas diximus exiſtere in ſingularibus: ſunt immutabiles quoad eſſentiam, non quoad exiſtentiam, & ſecundùm exiſtentiam non ſunt objectum ſcientiæ.

CONCLUSIO II.

D*Antur de facto, & à parte rei naturæ, quæ verè, & abſque fictione denominantur univerſales,non ſolùm quoad vocem, & formaliter, ſed etiam in eſſendo*. Eſt communis Scotiſtarum, & Thomiſtarum contra Nominales. Eſtque Doctoris, [1] qui docet, *univerſale eſſe ens, & quòd natura non eſt hæc de ſe*, ſeu ſingularis, &c.

Prob.1.contra Heraclitum. Quia dantur ſcientiæ, alioqui non eſset in homine tam ardens deſiderium ſciēdi, ſed ſcientiæ non ſunt,niſi de univerſalibus, ergo dantur univerſalia. Prob. min. Scientiæ ſunt de rebus neceſſariis, & immutabilibus, ſed ſola univerſalia ſunt immutabilia, & neceſſaria, ſaltem quoad eſſentialia, ergo ſcientiæ non ſunt, niſi de univerſalibus.

Prob. 2. Per naturas univerſales in eſſendo intelligimus tantùm naturas communes, per quas individua à parte rei conveniunt, & ſimilia ſunt, ſed evidens eſt dari tales naturas, ergo dantur verè univerſalia in eſsendo. Prob.min. Nam evidens eſt, quòd nullo intellectu cogitante Petrus, & Bucephalus conveniunt in animalitate, & Petrus, & Paulus in humanitate, ergo evidens eſt, dari naturas à parte rei, in quibus ſingularia conveniunt.

Prob. 3. contra Nominales. Scil. univerſalia non eſſe nudas voces,nec nudos conceptus formales communes,ſed illis verè correſpondere naturas, ſeu conceptus objectivos correſpondentes vocibus, & conceptibus formalibus, uno verbo,non voces tantùm,nec conceptus formales, ſed res per nomina ſignificatas, aut per conceptus repræſentatas eſse univerſales. Nam quando dico, *Petrus eſt homo*, hæc propoſitio eſt vera, & formalis. Significat enim, quòd habeat hu-

[1] *q.1.Univerſ. & in 2. d.3.q.1. per totam.*

humanitatem, ſed non eſt vera, nec formalis de voce, nec de conceptu formali, ſed de objecto, & re per nomen ſignificatis,ergo *homo* non dicitur univerſale, nec prædicatur de Petro penes vocē ſolam nec penes conceptum formalem,ſed penes rem ſignificatam,ſeu conceptum objectivum. Prob.min. Falſum eſt,quòd Petrus à parte rei ſit vox, & conceptus formalis, ergo, &c. Idem eſt,quando dico,*homo eſt ſubſtantia*. Nam hoc prædicatum *ſubſtantia* non convenit voci, nec conceptui formali, ſed rei, ſeu naturæ reali hominis, ergo *ſubſtantia* non denominatur univerſalis, quoad vocem, vel conceptum formalem, ſed quoad conceptum objectivum, ſeu quoad naturam ipſam realem.

Confirm. Quia cum dicitur *Deus factus eſt homo*, id non eſt verum de voce, nec de conceptu formali hominis,ſed de natura humana, quæ ſignificatur per illam vocem,& repræſentatur per conceptum formalem, ergo, &c. Idem eſt cum dico, *Petrus eſt homo*, *Paulus eſt homo*, &c.

Confir. 2. Quia cum dico, *homo eſt animal rationale*, non definitur vox, nec aliquid ſingulare, quia de vocibus non datur ſcientia, nec de ſingularibus, & hæc non definiuntur, nec pluribus inſunt, ſed definitio illa, & definitum pluribus ineſt, ſcil Petro, Paulo, ergo, &c.

Objicies 1. Quidquid eſt in rerum natura, eſt ſingulare, ergo nullum datur univerſale in rerum natura. Prob.ant. Quidquid eſt in rerum natura, excepto Deo,eſt in certo loco, & tempore, ſed quidquid eſt in certo loco, & tempore, eſt ſingulare, ergo,&c.

Reſp.diſt.ant.Eſt ſingulare,vel in ſingularibus exiſtens realiter, & abſolutè, conc.ant. eſt ſingulare formaliter,& adæquatè ſecundùm omnes formalitates, nego ant. & conſeq. Idem ad probationem. Petrus eſt ſingularis per petreitatem, non per animalitatem, nec per rationalitatem, ſaltem formaliter. Similiter univerſalia ſunt in loco, & tempore per ſingularia, quibus identificantur.

Inſt. Singularia eſsent univerſalia, Petrus, v.g. diceretur univerſalis. Haberet enim ſibi identificatam naturam univerſalem, vel ſimul eſset univerſalis, & particularis. Conſeq. eſt falſum, ergo, &c.

Reſp. diſt. ſeq. Diceretur univerſalis in aliquo ſenſu,conc.ſeq.maj. abſolutè,& ſimpliciter, neg.maj. Nam abſolutè, & ſimpliciter eſset ſingularis, & individuum naturæ humanæ, conſideratus autem ut homo præcisè, non eſset ſingularis, ſed importat aliquid commune, & fundamentaliter univerſale, quia homo eſt idem cum Petro, Paulo, Joanne identitate, ſeu unitate naturæ, quæ dicitur formalis.

Objicies 2. Sequeretur, Petrum eſse identificatum cúm Paulo,ſed hoc eſt falſum, ergo eſt falſum humanitatem de illis prædicari,& eſse illis communem,niſi quoad vocem, aut conceptum formalem. Prob. maj. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſed Petrus, & Paulus eſsent iidem uni tertio, ſcil. in natura, ergo & inter ſe.

Reſp. neg.maj.& diſt.maj. prob. Primò. Si illud tertium ſit incommunicabile, conc.maj. ſi ſit communicabile, neg. maj. & conſeq. Nam humanitas, in qua conveniunt Petrus, & Paulus, eſt communicabilis,& quidem cum ſui multiplicatione.Secundò ſic. Sunt eadem inter ſe eadem identitate, quam habent in illo tertio, & quia non conveniunt, niſi in unitate quadam formali, non autem numerica, & reali, ideò inter ſe ſunt idem formaliter, non numericè, & realiter, ſcilicet,conveniunt in eſsentia, habent eandem humanitatem formaliter,ſeu eſsentialiter ſumptam, ut meliùs patebit infra.

Objicies 3. auctoritatem Ariſt.[1]dicentis,Univerſalia *nihil eſſe*, & ſpecies *eſſe figmentum*, & quòd dentur ſola univerſalia in ſignificando, ergo ex Ariſt. non dantur univerſalia, niſi quoad voces, quia illæ ſolæ ſignificant.

Reſp. neg. conſeq. Nam Ariſtot. cùm ſic loquitur, vult tantùm, quòd univerſalia nihil ſint extra ſingularia, quòd non ſint ſubſtantiæ ſeparatæ, ut fingunt Platonici, & utebatur rebus pro nominibus, & apud illum idem eſt eſse,ac ſignificare, ſicut qui diceret, *homo ſignificat animal rationale*, tam loqueretur de re, ſeu de ſubſtantia, quàm de voce hominis.

Reſtat ergo dari à parte rei vera univerſalia in eſsēdo,quæ non ſunt nec ſubſtantiæ ſeparatę à ſingularibus,nec nudæ voces, nec puri conceptus formales.

QUÆ-

[1] *7.Met.t.45.& 1.de an.c.3.ſ.poſt* 149. *5.Met.t.*23.

QUÆSTIO III.

De unitate univerſalis, quid, & qualis ſit.

PRima qualitas naturæ, quæ dicitur univerſalis, *eſt unitas*, & 2. *eſt multiplicitas*. Nam definitur unum aptum ineſſe multis. Quærimus hìc de illa unitate, quid, & qualis ſit.

Nota 1. *unitatem* eſſe id, quo res aliqua habet, quòd ſit indiviſa in ſe, & diviſa ab alio quolibet, quod non eſt ipſa, v.g. unitas Petri conſiſtit in eo, à quo habet, quòd non ſit diviſus in ſe, & quòd ſit diviſus à Paulo, à Joanne, à lapide, à ligno, &c. illud ergo, à quo Petrus, & Paulus habent, quòd non ſint diſtincti, ſeu diviſi, aut diverſi inter ſe, erit eorum unitas. Et totuplex eſt unitas, quotuplex indiviſio, aut communitas rerum inter ſe.

Nota 2. diſtinctionem unitatis in *numericam*, ſeu *realem*, & *formalem*. 1. Eſt, qua res ſic in ſe colligitur, & ab aliis dividitur, ut ſit omninò ſingularis, & individua, & faciat cum aliis numerum, ideò vocatur *individualis, ſingularis, materialis*, & *numerica*. Formalis verò eſt ea, quæ competit alicui rei ratione eſſentiæ ſuæ, ſeu naturæ, & dicitur *formalis*, quia eſſentia cujuſque rei eſt forma ejus. Et ſecundùm hanc illa omnia dicuntur unũ formaliter, quæ cõveniunt in eſsẽtia, & diſtincta, ſeu plura formaliter, quæ nõ conveniunt in eſſentia. Sic Petrus, & Paulus ſunt duo individualiter, materialiter, ſingulariter, & numericè, quia habent duas unitates numericas, ſeu diſtinguuntur per principia ſingularitatis, ſeu individuationis, quæ principia dicuntur *hæcceitates*, quia per illa quælibet res conſtituitur hæc, & non alia, ſolent etiam exprimi diverſis nominibus *petreitatis*, *pauleitatis*, &c. Quia verò iidem Petrus, & Paulus conveniunt in eſſentia, ſeu humanitate, uterque enim eſt homo, ideò dicuntur unum *formaliter*, & ideò illa unitas dicitur à Scoto *unitas formalis*, minor *unitate numerica*, quia ſtat cum multitudine numerica. Dicitur etiã *unitas univerſalis*, quia reſpicit multa, ſaltem fundamentaliter.

Nota 3. *unitatem formalem* aliam dici *ſpecificam*, aliam *genericam*. *Unitas formalis ſpecifica* eſt nega-

tio diviſionis, ſeu diſtinctionis in tota eſſentia, v.g. Petrus, & Paulus ſunt unum unitate ſpecifica, quia non diſtinguuntur in natura, ſeu in ulla formalitate eſſentiali, ſed tantùm penes individualitatem, ſeu petreitatem, & pauleitatem, quæ non ſunt entitates, ſeu formalitates eſſentiales. *Unitas formalis generica* eſt negatio diviſionis penes entitates, ſeu prædicata partialia, & univerſaliora, v.g. Petrus, & Bucephalus ſunt unum formaliter unitate generica, ſcil. ratione ſubſtantialitatis, aut corporeitatis, aut animalitatis, quia non dividuntur, nec differunt in illis gradibus, ſeu entitatibus, differunt verò ſpecie, & ſunt duæ ſpecies diverſiſſimæ.

His poſitis quæritur, an unitas formalis, quæ tribuitur cuilibet naturæ, quæ dicitur univerſalis, conveniat illi à parte rei, & ſecundùm ſe, an verò per attributionem intellectus.

CONCLUSIO I.

Unitas formalis requiſita ad univerſalitatem convenit naturæ à parte rei, & independenter ab intellectu. Ita Doctor [1] cum ſuis omnibus aliis.

Prob. 1. ex Scoto. Docet enim, quòd *natura non eſt de ſe hæc, & ſingularis, ſed aliqua eſt unitas in re realis abſque omni operatione intellectus, minor unitate numerali, ſive unitate propria ſingulari, quæ unitas eſt naturæ ſecundùm ſe*, ſc. proprietatis ejus in ſe conſideratæ: ſed ad univerſalitatem non requiritur alia unitas in natura: ergo ex Scoto, unitas formalis requiſita ad univerſalitatem convenit naturæ à parte rei.

Prob. 2. ratione ejuſdem. Unitas naturæ humanæ in Petro, & Paulo, v.g. ſecundùm quam dicitur univerſalis, non eſt ficta per intellectum, ergo eſt realis, & independens ab intellectu. Prob. ant. Quia propter illam unitatem humanitas de illis verè prædicatur per modum unius, ſed ſi eſset ficta, non poſset verè prædicari per modum unius, ergo non eſt ficta. Prob. min. Si albedo non eſset in pariete, niſi per fictionem, non prædicaretur verè de pariete, ergo idem eſt de humanitate, ſcil. non poſset de Petro, & Paulo

[1] *In 2. diſt. 3. p. q. 1. n. 7. E.*

Paulo prædicari ut una ſpecie, ſi talis non eſset, niſi per fictionem.

Confirm. Quia Angelus, aut ipſe Deus, poſſet prædicare naturam humanam de Petro, & Paulo, ergo non habet unitatem per fictionem. Licèt enim Deus poſſit facere ens rationis, non tamen poteſt fingere.

Dices 1. quòd illa unitas non eſt quidem ficta, ſed tamen non ineſt, niſi per actum intellectus, qui abſtrahit illam à ſingularitatibus, dum concipit illam abſque petreitate, & pauleitate, quæ ſunt differentiæ ejus individuales.

Sed contra. Quia intellectus non habet vim productivam ullius entitatis realis in objecto ſuo, ergo unitas illa eſt ficta, ſeu non realis, vel non eſt per intellectum. Prob. ant. Nam intellectus cognoſcendo Petrum, & Paulum, ut ſingularia, non producit, nec cauſat in eis ſingularitatem, nec quidquam aliud reale, ergo neque dum concipit illos ſub una natura.

Confirm. hoc, quia ideò conferret unitatem humanitati, quia concipit eam per modum unius, ſed hoc non ſufficit, ut prædicetur de Petro, & Paulo per modum unius, ergo illa unitas non eſt ab intellectu. Prob. min. Quia ſi concipiam Petrum, & Paulum per modum unius individui, ſeu unius hominis, non facio, ut verè ſint unus homo, nec prædicabiles per modum unius hominis, ergo ita eſt de humanitate.

Dices 2. Id ſufficere, ut natura prædicetur per modum unius, non denominatione intrinſeca, ſed extrinſeca, petita à conceptu formali intellectus ſic eam concipiente.

Contra. Id tribuitur conceptui formali, vel quia eſt in ſe unus entitativè, vel quia concipit naturam ut unam objectivè, ſed neutrum dici poteſt, ergo replica non ſalvat difficultatem, nec effugit vim argumenti. Prob. min. Quia ſi concipiam Petrum, & Paulum, ut unum hominem numericè, non poterunt ſic prædicari, & non erit verum, licèt conceptus ille formalis ſit unus, aut licèt ſic concipiantur objectivè, ergo ita eſſet de humanitate.

Confirmatur de conceptu objectivo. Quia ille conceptus objectivus, quem daret intellectus humanitati, illā concipiens per modum unius, vel eſſet in Petro,

& Paulo, vel non eſſet: ſi eſſet, ergo ante operationem intellectus, alioqui non poſset illum producere in natura magis, quàm albedinem in pariete, quia non eſt productivus extra ſe: ſi verò non eſſet in illis, ergo non poſſet eum de illis prædicare verè magis, quàm albedinem de pariete nigro.

Prob. 2. concluſio. Quia, ſi humanitas acciperet ab intellectu unitatem, ſecundùm quam prædicatur de Petro, & Paulo per modum unius, id fieret maximè per illum actum, quo conciperentur confusè, adeò, ut non diſcernatur eorum pluralitas individualis, ſed hoc non ſufficeret ad univerſalitatem, ergo non accipit illam unitatem ab intellectu. Maj. docetur ab adverſariis, qui ſic explicant illam unitatem. Prob. min. 1. Quia antecedenter ad illum conceptum confuſum humanitas habet in illis ſufficientem unitatem pro univerſalitate, ergo illa non eſt ab eo actu intellectus. Prob. ant. Quia talis eſt humanitas, quæ eſt in Petro, & Paulo, quòd concipi poteſt de ſe, ut una, & ſic prædicari de illis, & ad univerſalitatem nihil aliud requiritur, ſed hoc habet natura illa de ſe, & antecedenter ad illum conceptum, ergo, &c.

2. Prob. eadem min. Quia per conceptum illum confuſum Petri, & Pauli non fit, ut poſſit prædicari de illis ſingulis. Falſum eſt enim, quòd Petrus ſit illi homines confusè concepti, ergo unitas veniens ab illo conceptu confuſo non ſufficit ad univerſalitatem, quia ad hanc requiritur, ut natura de quolibet individuo poſſit prædicari, & dici; Petrus eſt homo, & Paulus eſt homo, &c. Prob. ant. Quia ille conceptus confuſus, ſeu naturæ plures ſic conceptæ, non inſunt in ſingulis, ergo non poteſt de illis ſingulis prædicari ſecundùm illam unitatem.

Dices, Poſſe prædicari inadæquatè de ſingulis, quod ſufficit. Contra. Quia de ſingulis debet prædicari totum, quod concipitur, ſed totum, quod concipitur, ſunt Petrus, & Paulus cogniti confusè, ut unus homo, ergo totus ille conceptus prædicari debet adæquatè. Prob. maj. Quia in illo conceptu non diſtinguitur humanitas Petri ab humanitate Pauli, ergo prædicatur totum.

Prob. 4. concl. contra eos, qui docent, *eam unitatem eſſe ab intellectu præſcindente, quatenus conſide-*

vat naturas, v. g. humanitatem, non conſideratis ſingularitatibus. Nam illa humanitas ſic conſiderata vel eſt una apta ſic eſſe in multis, vel non, ſi non eſt, ergo non redditur apta ad univerſalitatem, ſi eſt, ergo id non habet ab intellectu, ſed ex ſe. Prob. hęc conſeq. Nam ſic intellectus nihil dat illi naturæ, præter illam ſeparationem per intellectum, ergo ſi in tali ſtatu præciſionis habet unitatem in multis, aut aptam ineſſe multis, illam habet aliunde.

Objicies. Omnis diviſio realis tollit realem unitatem, ſed omnis natura eſt à parte rei diviſa in ſuis inferioribus, v.g. humanitas in Petro, & Paulo, & animalitas in homine, & equo, ergo omnis natura à parte rei eſt multiplex, ergo nullam unitatem habet à parte rei.

Reſp. diſt. maj. Omnis diviſio realis tollit unitatem realem ſibi oppoſitam, conc. maj. non oppoſitam, ſed compatibilem, neg. maj. Et diſt. min. Omnis natura eſt realiter multiplex, & diviſa, multiplicitate numerica, conc. min. formaliter, neg. min. & conſeq. Nam, ut diximus, multiplicitas numerica non opponitur unitati formali, & diviſio ſpecifica non opponitur unitati genericæ, ſed ſtant ſimul.

CONCLUSIO II.

Unitas, per quam natura dicitur univerſalis, & quam habet in inferioribus, non eſt nec aliquid poſitivum, nec privatio, nec negatio, nec indifferentia ad pluralitatem.

Pro intelligentia concluſionis, nota, quòd aliqui putant, unitatem, quam habet natura aliqua communis, & per quam dicitur univerſalis, eſse in omnibus inferioribus poſitivè, & formaliter eandem, & ſolo numero, vel ſpecie multiplicatam, ideò hanc unitatem vocant formalem poſitivam, & ex vi hujus ſequitur, quòd Petrus, & Paulus ſunt formaliter idem homo, & numericè duo. Alii putant, illam unitatem eſse tantùm privativam, quatenus per adventum ſingularium, ſeu differentiarum ſpecificarum, vel individualium privatur aliqua unitate poſitiva, quam ex ſe deberet, aut poſſet habere, adeò, ut per illas differentias, v. g. per pauleitatem,

tem, & petreitatem humanitas reddatur quidem multiplex, & diviſa, ſeu non una, remanet tamen una privativè, quia privatur unitate ſibi debita. Alii denique vocant unitatem indifferentiæ, ſeu negativam, quia natura humana, v. g. licèt ſit ſingularis in Petro, & conſiderata cum petreitate, tamen de ſe præcisè non eſt magis determinata ad petreitatem, vel pauleitatem, quàm ad quodvis aliud individuum humanum, & hoc modo reſpicit plura indifferenter.

Quantum ad mentem Doctoris, [1] ſinguli Authores trium illarum opinionum conantur illum trahere in ſuas partes, ſed immeritò, quia nunquam ſomniavit tribuere naturis unitatem, nec poſitivam, nec privativam, benè verò indifferentem modo explicato, ſcil. quòd natura materialis de ſe non importat, niſi prædicata ſua eſſentialia, per quæ eſt talis, vel talis natura eſſentialiter, v. g. [2] *equinitas de ſe eſt tantùm equinitas, nec eſt de ſe una multiplex, nec ſingularis, nec univerſalis, ideſt, non eſt de ſe una unitate numerali, nec plures pluralitate oppoſita illi unitati, nec univerſalis actu, &c. quàmvis nunquam ſit realiter ſine aliquo iſtorum*, &c. Unde Scholiaſtes ejus [3] dicit, quòd *toto cœlo aberrant, qui putant, Scotum poſuiſse univerſale poſitivè commune à parte rei*. His poſitis

Prob. 1. p. Si humanitas, v. g. eſſet poſitivè eadem in Petro, & Paulo, & cæteris individuis humanis, 1. illa, quæ eſt in Petro, poſſet predicari verè, & formaliter de Paulo, ſicut Divinitas Patris prædicatur de Filio, & viciſſim, 2. natura poſitivè, & realiter eadem eſſet exiſtens, & nō exiſtens, vivens, & mortua, &c. ſcil. vivens in Petro, & mortua in Paulo, 3. eadem poſitivè, & realiter eſſet humanitas Chriſti, & Judæ, 4. non poſſet Deus annihilare unum hominem, quin omnes annihilaret, 5. nec creare de novo hominem, quia jam exiſteret ſecundùm naturam, & ſimilia abſurda innumera ſequerentur contra fidem. de myſterio Trinitatis, & Incarnationis, contra lumen naturale rationis: ergo illa opinio eſt rejicienda. Probantur autem ſequelæ. Nam 1. quia divinitas Patris eſt

[1] *In 1. d. 3, q. 1. E. n. 7.* [2] *Ex Avicenna 7. Metaph.* [3] *Cavelln. ibi n. 8.*

eſt realiter, & poſitivè eadem in Filio, ideò eadem prædicatur de Patre, & Filio, ſed in hac opinione humanitas eſſet realiter, & poſitivè eadem in Petro, & Paulo, ergo poſſet de utriſque, ac omnibus prædicari eadem poſitivè. 2. Idem eſt de humanitate Chriſti, & Judæ. 3. Idem eſt de humanitate, & anima Epulonis damnati, & Lazari beati, &c.

Dices. Hæc eſſe abſurda, & ſequi de eadem natura ſingulari, & individua, qualis eſt natura divina, ſed non de natura communi poſitivè, & multiplicata realiter in individuis, qualis eſt humanitas.

Contrà. Si petreitas, & pauleitas non tollerent unitatem realem, & poſitivam humanitatis, ſicut perſonalitates filiationis, & paternitatis non tollunt unitatem realem, & poſitivam divinitatis, quarè eadem prædicata non dicerentur? & , ſi multitudo, ſeu diviſio numerica non tolleret identitatem illam poſitivam realem, quarè impedirent illa prædicata, quæ ex ea ſequuntur? ſaltem quarè non diceretur totam Chriſti humanitatem eſſe damnatam in Juda, excepta ſingularitate illius? Igitur iſta opinio invehitur in myſteria fidei, & quàmvis poſſet utcunque explicari in aliquo ſenſu, quo non præjudicaret illis, tamen propter ipſam apparentiam debet explodi.

Prob. 2. Implicat naturaliter eandem rem creatam indiviſam eſſe in pluribus individuis diviſis, & diſtinctis, ſed hoc fieret, ſi humanitas, ver. gr. eſſet eadem realiter poſitivè in Petro, & Paulo, ergo implicat illa unitas poſitiva realis naturæ in ſuis individuis. Major patet ex eo, quòd id peculiare ſit naturæ divinæ, & id non capitur naturaliter, ſed per ſolam fidem ſupernaturalem.

Dices. Non eſſe eandem unitatem. Nam natura eſt indiviſa formaliter, & diviſa numericè, materialiter, ſeu individualiter.

Contra. Quia per adverſarios humanitas, quæ eſt in Petro, & Paulo, eſt eodem modo indiviſa in ſe realiter, ac ſi non eſſet diviſa in illis, ergo non magis multiplicatur per ſingularitates, quàm ſi non advenirent. Prob. conſeq. Ideò paries non multiplicatur ſub albedine, & nigredine, quia ſub utraque eſt idem in entitate, ſed per adverſarios humanitas eſt eadem in entitate, & realiter ſub petreitate, & pau-

lei-

leitate; ergo ſub illis non multiplicatur realiter, ſicut nec divinitas ſub paternitate, & filiatione.

Prob. 3. Quæ ſunt identificata realiter, nequeunt ſeparari, nec unum exiſtere ſine alio, ſed humanitas, quæ eſt in Petro, poteſt exiſtere ſine humanitate Pauli, ergo non eſt eadem realiter, & poſitivè in utroque. Maj. pat. Idem enim non poteſt ſeparari à ſe ipſo, & ſeparatio eſt certiſſimum, & evidentiſſimum ſignum diſtinctionis. Prob. min. Quia ſi illæ humanitates non poſſent ſeparari, moriente Paulo, non moreretur, niſi pauleitas, quæ ſepararetur à ſua natura, quod eſt abſurdiſſimum, ergo, &c. Prob. ſeq. Quia tota humanitas conſervaretur, & viveret in Petro.

Prob. 2. pars concluſ. Quia humanitati, quæ eſt in Petro, & illi, quæ eſt in Paulo, non debetur alia unitas, quàm ea, quam habent de facto, ergo non privantur ulla unitate debita per inexiſtentiam in ſingularibus. Conſeq. eſt bona. Nam unitas privativa conſiſtit in privatione unitatis debitæ. Prob. antec. Nam illa unitas, qua privarentur, eſſet vel eſſentialis, vel proprietas, ſed non privantur nec ullo eſſentiali, nec ulla proprietate, ergo, &c. Prob. min. Quia eſſentialia, & proprietates rei, qualis eſt unitas, ſunt inſeparabilia à re, ergo non poſſunt ſeparari. Sunt enim identificatæ realiter rei, cujus ſunt.

Prob. 2. ead. pars. Quia ſi natura in ſingularibus exiſtens privaretur ſua unitate, non benè diceretur una privativè, ſicut cæcus non benè diceretur videns privativè, ergo unitas naturæ communis non dicitur una privativè.

Prob. denique ead. pars ex præced. Quia naturæ exiſtenti in ſingularibus non debetur ulla unitas realis poſitiva, ergo non privatur ulla unitate reali poſitiva. Prob. antec. Quia nihil eſt debitum rei, cui non poteſt ineſſe ne quidem divinitùs, ſed naturæ communi non poteſt ineſſe ne divinitùs quidem alia unitas, quam non habeat in ſingularibus, ergo in ſingularibus non eſt una privativè in ſenſu adverſariorum.

Prob. 3. pars concluſ. Quia, quod humanitas Petri v. gr. præciſa petreitate, & de ſe ſit indifferens ad eſſe in Petro, vel Paulo, non facit, quòd poſſit communica-

nicari pluribus copulativè, ergo illa unitas non facit ad univerſalitatem. Conſeq. ſupponitur, quia natura, quæ dicitur verè univerſalis, debet poſſe ineſſe multis, & de illis prædicari, non disjunctivè, v.g. de hoc, vel de illo, de Petro, vel de Paulo, ſed copulativè de Petro, & Paulo, ergo licèt humanitas, ver. gr. ſecundùm ſe, & ſua eſſentialia prædicata non ſit hæc, vel illa, nec Petri, vel Pauli, non ſequitur, quòd habeat unitatem verè univerſalem, quia non poteſt eſſe, niſi in una, vel alia ſingularitate.

Prob. 2. ex ratione Scoti. Nam natura communis ſecundùm ſe, & ſua prædicata eſſentialia non includit univerſalitatem, nec ſingularitatem, *humanitas*, ver. gr. *eſt tantùm humanitas*, *equinitas eſt tantùm equinitas*, ergo non habet unitatem univerſalem, nec ſingularem.

Objicies 1. contr. 1. par. Petrus, & Paulus ſecundùm prædicata eſſentialia non diſtinguuntur realiter, ergo realiter ſunt idem in eſſentia, & quidem poſitivè. Patet conſeq. Nam diſtinctio realis eſt oppoſita unitati, & qualis eſt indiſtinctio, talis eſt unitas. Prob. antec. Habent eandem definitionem, ergo non diſtinguuntur eſſentialiter.

Reſp. diſt. ant. Non diſtinguuntur, id eſt, non differunt, ſed habent naturas ſimiles, conc. antec. & conſeq. probationis, non ſunt realiter diviſi, & diſtincti, ſeu non ſunt duæ realiter humanitates, neg. antec. & conſeq. Idem eſt de definitione. Nam definitiones objectivæ ſunt realiter diſtinctæ, formales verò non, quatenus per eandem poteſt repræſentari humanitas Pauli, & Petri propter ſimilitudinem objectivarum definitionum, ſeu naturarum utriuſque.

Inſt. Non minùs Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in hæcceitatibus, ſeu in individualitatibus, quàm in humanitatibus, ergo ſi propter ſimilitudinem in humanitatibus poſſunt dici unùm eſſentia, & definiri una definitione, ita & propter ſimilitudinem in hæcceitatibus poſſunt dici unum numero.

Reſp. 1. retorquendo argumentum, quia ſi Petrus, & Paulus tàm ſimiles ſunt in hæcceitatibus, quàm in eſſentia, tàm habebunt unitatem realem ſingularem, quàm formalem: ſed hoc eſt contra adverſarios, & quod dicent pro diſparitate ex parte hæcceitatum

tum dicemus pro eſſentiis.

Reſp.2.neg.ant. Nam hæcceitates, ſeu individuationes ſunt ultimæ differentiæ, & non poſſunt repræſentari, vel definiri ſic, ut conceptus formalis, vel definitio unius (caſu, quo ſingularitas poſſit definiri, quod eſt contra principia Logicæ, & bonæ definitionis) repræſentet definitionem alterius. Nam conceptus formalis Petri, ut Petrus eſt, non poteſt repræſentare Paulum, ut Paulum, ſed potiùs debet illum diſtinguere à Paulo.

Reſp.3. neg.conſeq. Nam præter ſimilitudinem inter individua requiritur indiviſio realis ad unitatem realem, ad unitatem verò formalem ſufficit ſimilitudo in eſſentialibus prædicatis, nec illi obeſt diviſio realis.

Objicies 2. Humanitas Petri, præcisè à petreitate, à qua diſtinguitur formaliter, non eſt diſtincta poſitivè ab humanitate Pauli ſimiliter præciſa, ergo habet unitatem poſitivè cum illa. Prob. antec. Nam, ſi eſſent diſtinctæ inter ſe, non egerent differentiis individualibus, ſcil. petreitate, & pauleitate diſtinguerentur numericè, ſed hoc eſt falſum, & contra Doctorem, ergo falſum eſt, eas diſtingui aliter, quàm per individualitates. Prob. maj. Nam totum munus individualitatis eſt facere, ut duæ naturæ ſimiles ſint diſtinctæ poſitivè, & realiter duæ, ergo, ſi naturæ illæ ſint jam ex ſe diſtinctæ poſitivè, ſuperflua erit individualitas.

Reſp. neg. antec. Eſt enim entitativè, non diverſa, ſed ſimilis, ſeu potiùs nec eſt diſtincta, nec indiſtincta, ſed, ut verbis Doctoris utar, in illa præciſione, *humanitas eſt tantùm humanitas*, & nihil aliud, præſcindit ab omni diſtinctione, & identitate: non enim importat, niſi ſua prædicata eſſentialia, quæ ſunt animalitas, & rationalitas. Et ſic patet ad ſecundum, & tertium argumentum.

Inſtab.1. De quacunque re formaliter poteſt dici, quòd ſit una cum alia, vel ab ea diſtincta, nam inter eſſe unum, & non eſſe unum, ſeu eſſe diſtinctum, non datur medium, ergo humanitas Petri, prout diſtincta formaliter à petreitate, vel eſt una cum humanitate Pauli, vel diſtincta poſitivè.

Reſp.diſt.ant. Simpliciter, & abſolutè loquendo, & à par-

à parte rei, conc. anteced. præciſè, & formaliter, ſeu ex ſua ratione formali, prout conſideratur ſecundùm ſua prædicata eſſentialia tantùm, neg. antec. & conſeq. Humanitas ergo Petri, à parte rei, & ſimpliciter, & abſolutè, eſt diſtincta ab humanitate Pauli realiter, & poſitivè, ſed ſecundùm ſe formaliter, & præciſè, eſt tantùm humanitas, ut dicebam cum Doctore ſubtili.

Inſt. 2. Si humanitas, quæ eſt in Petro, pro ut præſcindit à petreitate, à parte rei, & abſolutè, eſt diſtincta ab ea, quæ eſt in Paulo, illæ humanitates erunt duæ ſpecies diſtinctæ, ſed hoc eſt falſum, ergo eſt una.

Reſp. neg. ſuppoſitum maj. Nam ſupponit, quòd humanitas Petri præciſa à petreitate, & ſpectata formaliter ſecundùm prædicata ſua eſſentialia, ſit diſtincta, aut una poſitivè, quod diximus eſſe falſum, nam ſic non eſt aliud, quàm animal rationale, aut, ad ſummum, eſt una negativè, ſeu nec una, nec diſtincta poſitivè.

Objicies 4. Homo dicitur univocè de Petro, & Paulo, ergo humanitas per illud nomen ſignificata eſt eadem in utroque. Univoca enim ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata eſt omninò eadem.

Reſpond. neg. conſeq. & diſt. rationem ejus. Ratio ſignificata eſt eadem, identitate, ſive unitate ſimilitudinis, conc. conſeq. unitate reali, poſitiva, & indiviſionis, neg. conſeq. Talis autem eſt unitas humanitatis Petri, & Pauli, ſcil. unitas ſimilitudinis, ut mox dicemus.

Objic. contr. 3. par. Natura ſecundùm ſe conſiderata, & præciſa à ſingularibus, non eſt ſingularis, ergo eſt univerſalis. Patet conſeq. Nam inter ſingulare, & univerſale non videtur eſſe medium.

Reſp. neg. conſeq. Quia ſecundùm ſe conſiderata eſt talis natura, & nihil aliud, ver. grat. *humanitas, eſt humanitas*. Eſt indifferens inter univerſalitatem, & ſingularitatem, & illa indifferentia dici poteſt medium inter illas.

CON-

CONCLUSIO III.

UNitas formalis realis, in qua fundatur univerſalitas, nihil aliud videtur eſſe, quàm unitas ſimilitudinis, per quam naturæ omnes ſingulares ſunt repræſentabiles eodem conceptu, qui omnibus convenire poteſt. Eſt conformis Scoto, ſed diſſentiunt plurimi Scotiſtæ.

Prob. autem eſſe de mente Doctoris, & verum. Nam ille admittit in naturis ſingularibus aliquam unitatem à parte rei minorem unitate numerica, quam vocat formalem, & quam retinent in individuis, ſed non apparet, quòd naturæ retineant in ſuis individuis, ſeu inferioribus aliam unitatem, quàm ſimilitudinis, in ſenſu explicato, ergo ex Scoto, & in rei veritate, unitas formalis naturarum in ſuis individuis non eſt alia, quàm ſimilitudinis. Prob. min. Si haberent aliam unitatem, maximè poſitivam, ut volunt aliqui, aut privativam, ut volunt alii, ſed neutra eſt vera, ex mente Scoti, nec ex veritate, ergo, &c. Prob. min. Quia ex Scoto tota unitas, quæ competit naturæ alicui communi ex natura rei, eſt unitas indifferentiæ, de qua diximus ſupra, ergo non eſt unitas poſitiva, nec privativa, ergo non poteſt meliùs intelligi, quàm de unitate ſimilitudinis, ſeu repræſentabilitatis, & hæc convenit naturis à parte rei. Antec. patet ex verbis his Scoti: [1] *Iſta natura ſecundùm unitatem propriam naturæ, ut natura eſt, eſt indifferens ad unitatem ſingularis*, ergo, &c.

Confirm. Quia, licèt humanitas, quæ eſt in Petro, conſiderata ſecundùm ſe præcisè, ſit indifferens ad petreitatem, & pauleitatem, non ſequitur, quòd ſit una realiter cum humanitate, quæ eſt in Paulo, aliter, quàm per ſimilitudinem, ſeu repræſentabilitatem, nec per conſequens, quòd poſſit prædicari de Paulo, niſi quantùm ad ſimilitudinem, ergo non eſt alia, quàm ſimilitudinis, ſeu repræſentabilitatis.

Objicies. Similitudo fundatur in unitate, ſed Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in natura, ergo habent aliquam unitatem naturæ, quæ prior eſt, quàm ſimilitudo, ergo datur alia unitas formalis à parte rei, quàm

[1] *in 2.d.3.q.1.§ ſed contr.ad 1.n.9.*

quàm ſimilitudinis. Maj. prob. ex Philoſopho dicente, quòd *illa ſunt ſimilia, quæ ſunt una*, ergo,&c.

Reſp. 1. Philoſophum dicere, quòd illa ſunt ſimilia, quæ ſunt una, & ſic loquendo indicat ſimilitudinem eſſe ipſammet unitatem, ſicut, ſi diceret, *riſibilitatem in homine eſſe potentiam ad ridendum*, non ſignificaret riſibilitatem eſſe diſtinctam ab illa potentia. Unde, ſic explicata majori, neg. conſeq. Nam unitas eſt ipſa ſimilitudo.

Reſp.2. Totam unitatem, quæ poteſt imaginari inter Petrum, & Paulum in natura, quæ præcedat ſimilitudinem, nihil eſſe poſſe præter repræſentabilitatem per eādem ſpeciem, vel conceptum formalem, ita,ut ea dicantur ſimilia, & una in natura, quorum natura eſt repræſentabilis per eandem ſpeciem, vel conceptum formalem.

Objicies 2. Natura, quæ eſt in Petro, ut natura, & ut diſtincta formaliter à petreitate, vel eſt natura, quæ eſt in Paulo, vel non eſt. Si eſt, ergo habet unitatem realem poſitivam, & aliam, quàm ſimilitudinis. Si non eſt, ergo non eſt ſimilis, quandoquidem poteſt diſcerni ab illa, ergo falſa eſt illa unitas ſimilitudinis.

Reſpond. neg. antec. Nam, ut jam dixi ſæpè, illa humanitas, ut diſtincta, ſeu præciſa à petreitate ſpectata ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, eſt tantùm humanitas, & non dicit identitatem, nec diſtinctionem, quia hoc ipſo, quòd dicitur diſtincta, vel non diſtincta, jam conſideratur cum ſuis proprietatibus, & non tantùm ſecundùm eſſentialia.

Objicies 3. Unitas formalis, quam aſſerit Scotus competere naturæ ſecundùm ſe, & quæ facit ad univerſalitatem, facit, ut natura poſſit prædicari de ſuis inferioribus prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*, ſed unitas illa ſimilitudinis non ſufficit ad hanc prædicationem, ergo aſſignanda eſt alia.

Reſp.diſt.maj. Debet poſſe prædicari,&c. ita, ut illamet, quæ concipitur objectivè, ſit poſitivè eadem, vel alia planè ſimilis, & repræſentabilis eodem conceptu, vel ſpecie, conc.maj. ita,ut debeat eſſe eadem poſitivè in illis pluribus, neg.maj.& conſeq. diſtincta ſimiliter minori. Nec enim requiritur, ut illamet natura, quæ prædicatur de pluribus, ſit de facto, & rea-

realiter in illis pluribus, de quibus prædicatur; ſufficit, quòd inſit per aliquid omninò ſimile in ſenſu prædicto, alioqui non daretur univerſale. Nam nulla una natura eſt ſic in pluribus realiter, & ſecundùm ſe.

Objicies 4. Unitas univeiſalis, quam agnovit Scotus [1] non eſt univerſalis à parte rei, ſed unitas ſimilitudinis eſt à parte rei, ergo non eſt illa, quam agnovit Scotus, ergo ex Scoto unitas univerſalis non eſt unitas ſimilitudinis.

Reſp. diſt. maj. Non eſt univerſalis à parte rei, proximè, & formaliter, ſeu univerſalitate Logica, conc. maj. fundamentaliter, & remotè, ſeu univerſalitate Metaphyſica, neg. maj. & conſeq. Sed de hoc infrà.

Inſt. Ut natura ſit formaliter, & proximè univerſalis Logicè, requiritur tantùm, ut ſit una unitate univerſali, ſed hanc habet à parte rei per nos, ergo reddit naturam univerſalem à parte rei. Prob. min. Quia habet illam unitatem conformitatis, ſeu repræſentabilitatis, ſeu ſimilitudinis à parte rei, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam ad proximam univerſalitatem debet conſiderari ab intellectu, ut præciſa à ſingularitatibus, v. gr. à petreitate, alioqui non erit una cum humanitate Pauli; ſaltem realiter, quia realiter eſt conjuncta cum petreitate, & pauleitate, per quas dividitur, & redditur diſſimilis, & diſtincta.

Collige 1. quòd unitas illa formalis, & realis, minor unitate numerica, quam hìc aſſerimus, nihil aliud eſt in humanitate, ver. gr. (idem eſt de cæteris) quàm ſimilitudo, & convenientia, quam habent inter ſe Petrus, Paulus, Joannes, & cæteri homines in prædicatis eſſentialibus, adeò, ut humanitas unius repræſentare poſſit cæteras omnes, & per eundem conceptum formalem, per quem repræſentatur illa, quæ eſt in Petro, repræſentetur ea, quæ eſt in Paulo, nec ex vi talis conceptus poſſit diſcerni una ab alia, propter perfectam convenientiam, quam habent inter ſe in ſuis prædicatis eſſentialibus.

Quòd autem hujuſmodi conformitas, ſeu ſimilitudo dici poſſit unitas, patet, tùm ex communi modo loquendi; cùm enim videmus aliqua duo ſic conformia, ut difficile ſit unum ab alio diſcernere, v. gr. in dua-

[1] *d. 3. q.*

duabus guttis aquæ, in duobus radiis ſolaribus, illa ſolent dici unum, & idem. Tùm quia ipſe Ariſtoteles [1] docet diverſitatem opponi unitati, ergo, ubi non eſt diverſitas, ibi eſt unitas: ſed ſimilitudo illa formarum, ſeu naturarum eſt negatio diverſitatis: ergo rectè vocatur unitas, & quidem formalis, quia natura, ſeu eſſentia eſt forma totius rei.

Dicitur etiam *unitas realis*, quia reperitur in naturis realibus independenter ab intellectu. Certum enim eſt humanitates Petri, & Pauli eſſe adeò ſimiles de ſe, ut non poſſent diſcerni ab invicem, niſi advenirent ſingularitates, quibus aſſignantur communiter iſta ſex ſigna diverſitatis, hoc verſu contenta,

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

QUÆSTIO IV.

De aptitudine univerſalis.

ALia cōditio naturæ univerſalis eſt, ut ſit *apta eſſe in multis.* Et de illa aptitudine videndum, quæ, & qualis ſit. Neque enim omnis unitas compatibilis eſt cum pluralitate, neque omnis pluralitas facit univerſalitatem, ut diximus de natura Divina, quæ non poteſt multiplicari numericè, & de Perſonis Divinis, quæ, licèt ſint tres numero, non tamen faciunt, ut Divinitas, quæ illis eſt communis, dicatur univerſalis.

Suppono autem, quòd, ut natura aliqua una dicatur univerſalis, non requiritur, quòd de facto ſit in pluribus, & de illis actu prædicetur, ſed ſufficit, ut poſſit illis ineſſe, & de illis prædicari. Unde, cùm primùm homo creatus eſt, immò, antequam crearetur Adam, humanitas poterat denominari univerſalis æquè, ac nunc. Ita eſt de natura Solis, qui licèt ſit ſolus de facto, tamen non ſunt impoſſibiles plures Soles, & ideo natura ejus poteſt denominari univerſalis.

Suppono 2. duplex communiter diſtingui univerſale, ſcil. *Metaphyſicum*, & *Logicum*, ut jam diximus. *Metaphyſicum* deſcribitur *unum aptum ineſſe multis*, ideò

[1] *lib.10.Metaphyſ.cap.1.t.10.*

ideò ſiſtit in conſideratione eſſentiarum in ſe, *Logicum* verò addit *prædicabilitatem de multis*, & deſcribitur *unum aptum ineſſe, & prædicari de multis*, quia Logica conſiderat naturas, prout ſunt de ſe invicem prædicabiles ſecundùm varios reſpectus, & ordines, quos in eis apprehendit; &, quia prius eſt eſſe in multis, quàm de illis prædicari, univerſale Metaphyſicum præcedit Logicum, & eſt velut ejus fundamentum.

Quæritur ergo hìc, an illa aptitudo ad eſſe in multis debeat eſſe realis, adeò, ut nulla natura poſſit verè dici univerſalis, niſi de facto, & realiter poſſit multiplicari; an verò ſufficiat, ut intellectus eam concipiat abſque repugnantia ad multiplicationem, & abſque ſingularitate, licèt revera talis ſit ex ſe. Thomiſtæ putant, quòd in Angelis omnes naturæ ſunt de ſe incommunicabiles, ver.gr. natura Michaelis eſt abſolutè incommunicabilis, & tamen dici poteſt univerſalis non in re, ſed in intellectu.

CONCLUSIO.

Aptitudo naturæ ad eſſe in multis debet eſſe realis, & à parte rei, ita, ut, ſi ei repugnaret eſſe in multis realiter, non poſſet verè dici univerſalis. Eſt Doctoris [1] cum ſuis, & aliis contra Thomiſtas. Docet enim, quòd *ſi aliqua natura eſſet de ſe hæc, contradictio eſſet intelligere eam ſub ratione univerſalis, ſicut eſt contradictio intelligere eſſentiam divinam ſub ratione univerſalis, vel univerſalitatis.*

Prob. autem. Si natura poſſet dici univerſalis abſque aptitudine reali, ſeu cum repugnantia intrinſeca ad multiplicationem, natura divina poſſet dici univerſalis, ſed conſequens eſt contra omnes, ergo & antec. Prob. maj. Quia nihil deeſt naturæ divinæ ad univerſalitatem præter multiplicabilitatem realem, ergo, niſi illa multiplicabilitas realis, ſeu aptitudo ad illam neceſſaria ſit, ſed ſufficiat illam intelligere ſine ſingularitate, poterit dici univerſalis.

Dices. Illam non poſſe concipi ſine ſingularitate, ideò non eſt univerſalis.

Contra. Quia hoc gratis dicitur, nec enim magis im-

[1] *in 2, d.3. q.7. n.4. A.*

implicat concipere divinitatẽ ſine ſingularitate, quàm ſine juſtitia, ſine perſonis, &c. ſed concipitur ſine iſtis, ergo concipi poteſt ſine illa.

Prob. 2. Quia, ſi ad veram univerſalitatem nihil aliud requiratur, quàm, ut natura concipiatur ab intellectu ſine ſingularitate, licèt à parte rei non poſſet eſſe, niſi ſingularis, ſpecies infima poſſet denominari genus, falſum conſequens, ergo & antec. Prob. ſequela, quia natura ſpecifica, v.gr. humanitas, poteſt conſiderari, abſque eo, quòd concipiatur ultima determinatio ejus, ut, ſi concipiatur præcisè, ut animal rationale, quia ſecundùm hæc prædicata non importat repugnantiam ad communicari pluribus naturis potiùs, quàm pluribus individuis, licèt de facto illa communicatio ei repugnet, non iſta, ergo tàm poterit denominari genus, quàm ſpecies infima.

Prob. 3. Quia de ratione eſſentiali univerſalis eſt, ut natura, quæ ſic denominatur, poſſit eſſe in multis, ſed natura, cui repugnaret eſſe in multis, non haberet illam aptitudinem, ne quidem per intellectum, ergo non eſſet univerſalis. Prob. min. Quia per intellectum non tolleretur illa repugnantia, ergo neque daretur illa aptitudo. Prob. antec. Quia, vel illa natura conciperetur cum illa aptitudine, vel cum repugnantia eſſendi in multis, ſed neutrum dici poteſt. Prob. min. Si enim conciperetur cum aptitudine, conciperetur cum formalitate, quæ illi implicaret, ut ſupponitur, ergo per hoc non fit univerſalis. 2. Si cum repugnantia ad multiplicari, ergo cum repugnantia ad univerſalitatem.

Dices. *Sufficit*, ut concipiatur eo modo, quo non apprehenditur nec repugnantia ad pluralitatem, nec aptitudo, & tunc erit indifferens, quod ſufficit ad univerſalitatem.

Contra. Non poteſt concipi indifferens ad id, quod eſt illi eſſentiale, & ad id, quod illi repugnat; ſicut homo non poteſt concipi in ſtatu indifferentiæ ad eſſe rationalem, & irrationalem, ergo nulla reſponſio, quia ſupponimus pluralitatem tàm repugnare illi naturæ, quàm irrationalitas repugnet homini.

Objicies. Univerſalitas, ex Doctore, eſt relatio rationis, ergo ſufficit, quòd ratio apprehendat eam poſſe multiplicari, licèt hoc ei repugnet à parte rei. Prob.

con-

conſeq. quia ad relationem rationis ſufficit terminus rationis.

Reſp. neg. antec. & maximè de univerſali metaphyſico. Nam 1. illud non eſt relatio rationis, nec id ſomniavit Doctor, & quamvis admitteremus univerſale Logicum dicere pro formali relationem rationis, tamen eſſet cum fundamento in re, quod fundamentum eſſet realis multiplicabilitas in eſſendo, alioqui eſſet univerſalitas ficta.

Inſt. Aptitudo ad eſſe, & prædicari de multis non ineſt à parte rei, ſed per intellectum, ergo ſufficit, quòd natura aliqua poſſit concipi cum illa aptitudine, quàmvis illi repugnet à parte rei.

Reſp. neg. ant. Nam aptitudo ad eſſe in multis ineſt à parte rei, atque etiam ad prædicari, ſaltem remota, & fundamentalis. Hæc enim eſt ipſamet aptitudo eſſendi in multis.

Objicies 3. In entibus chimæricis, quibus repugnat omnis realis exiſtentia, concipimus rationes generis, & ſpeciei, ergo & in natura, cui repugnaret pluralitas realis, & extra intellectum.

Reſp. neg. conſeq. Quia eo modo competit enti rationis aptitudo ad eſſe in multis, quo competit eſſe; ſed naturæ, quam ſupponimus realem, repugnat illa aptitudo realis ad pluralitatem; &, ſicut entia rationis concipimus per modum entis veri, ita & illis tribuimus genera, ſpecies, & individua ſuo modo. Sed non ita eſt de hac natura, quæ ſupponitur realis; pluralitas, quæ illi tribueretur, eſſet plane chimærica.

Objicies 4. Natura ſpecifica Michaelis, v.gr. concepta ut principium propriarum ejus operationum, & ut diſtincta a natura Gabrielis, non involvit neceſſariò ſingularitatem, ergo ſub hoc conceptu eſt determinabilis, & illa determinabilitas videtur indifferens ad michaelitatem, non a parte rei, ſed per intellectum, ergo per intellectum eſt univerſalis.

Reſp. neg. antec. Quia determinabilitas ſupponit indifferentiam, quæ non repugnet illi naturæ; indifferentia autem ad determinari per michaelitatem repugnat iſti. Deinde. Determinabilitas requiſita ad univerſalitatem debet eſſe in natura, quæ latiùs pateat, quàm differentia determinans, quod non reperitur in natura Michaelis reſpectu michaelitatis,

in

in ſententia adverſariorum, ſcil. Thomiſtarum.

Inſt. Natura ſic concepta de Michaele prędicari poſſet de illo, ſed non poſſet prædicari de illo, niſi ut ſpecies, ergo eſſet verè ſpecies, ergo per modum univerſalis. Prob. min. Quia non poſſet prædicari, niſi ut ſpecies, aut genus, aut differentia, aut proprium, vel accidens; ſed non prædicatur, ut genus, vel proprium, vel accidens, aut differentia, ergo ut ſpecies.

Reſp. neg. conſeq. & min. probationis. Prædicaretur enim, ut forma ejus ſingularis, & adæquata michaelitati, non, ut quid latius patens, & ſi velis per modum naturæ ſpecificæ, ſed non per hoc haberet veram rationem ſpeciei.

QUÆSTIO V.

An detur univerſale à parte rei.

SUppoſitis iis, quæ diximus hucuſque de natura, & conditionibus univerſalis, deque ejus diſtinctione in Metaphyſicum, & Logicum, non eſt difficilis deciſio hujus quæſtionis, in qua tàm acriter videntur pugnare Philoſophi. Quæritur ergo, an à parte rei natura habeat unitatem, & aptitudinem ad eſſe in pluribus, & prædicari de illis; nam in his conſiſtit tota eſſentia univerſalis.

CONCLUSIO I.

D*Atur univerſale Metaphyſicum à parte rei*. Eſt Doctoris, [1] & S. Thomæ, & ſequacium communiter, & ſequitur manifeſtè ex dictis.

Prob. Nam natura, quæ dicitur univerſalis in eſſendo, ſeu Metaphyſicè, nihil accipit ab intellectu, quod ſpectet ad univerſalitatem, ergo eſt univerſalis à parte rei. Prob. antec. Ad univerſalitatem hanc nihil aliud requiritur in natura præter unitatem, & multiplicabilitatem, ſeu aptitudinem ad eſſe in multis; ſed natura neutrum habet ab intellectu, ergo nihil accipit ab intellectu, per quod fiat univerſalis. Min. patet ex hucuſque dictis, ubi etiam aliquot propoſuimus objectiones; reliquas hìc addemus. Patet,

[1] *in 2. d. 3. q. 1. n. 7.*

inquam, ex Scoto, & rationibus adductis, quòd natura non accipit ab intellectu nec unitatem formalem, nec multiplicabilitatem: *Aliqua eſt unitas in re realis abſque omni operatione intellectus*, &c. *Et omnis quidditas, quantùm eſt de ſe, communicabilis eſt*, ergo, &c.

Objicies 1. Si humanitas, quæ eſt in Pętro, eſt univerſalis à parte rei, Petrus eſt etiam univerſalis: falſum conſequens, ergo, &c. Prob.ſeq. Humanitas Petri non diſtinguitur à Petro, ergo, ſi illa eſt univerſalis, ille erit univerſalis. Prob.conſeq. Quod enim convenit à parte rei naturæ alicujus individui, convenit & ipſi individuo, ergo, &c.

Reſp. 1. neg. maj. primi argum. conſeq. 2. & maj. 3. ut patet in divinis; nam convenit naturæ patris communicari filio, non verò perſonæ patris, quamvis perſona divina identificetur realiter naturæ divinæ.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. Si conveniat naturæ individui ſpecificativè ſumptæ, & materialiter, conc. maj. ſi conveniat tantùm naturæ formaliter, & præciſè, ut natura eſt, præſcindēdo ab individuatione, neg. maj. Univerſalitas autem, ſeu aptitudo eſſendi in multis convenit modo à nobis explicato ſuprà, ſcil. convenit naturæ Petri formaliter, & ſecundùm ſe præciſè ab individuatione, non verò convenit ſpecificativè, & prout includit petreitatem.

Objicies 2. Humanitas Petri ſic eſt illi propria à parte rei, ut non poſſit convenire alteri, ergo non eſt univerſalis, ſed planè ſingularis à parte rei. Prob. antec. Eſt identificata à parte rei cum petreitate, ergo non poteſt alteri convenire.

Reſp. 1. juxta ſententiam Scoti; de natura communi, neg. antec. Nam ſecundùm ſe, & præciſè conſiderata eſt indifferens ad petreitatem, & pauleitatem; nec aliud dicit, niſi prædicata ſua eſſentialia (ut ſæpè diximus) &, licèt à parte rei ſit realiter illi identificata, non ſequitur, quin ſit conceptibilis ſine illa, & quin ab ea præſcindat objectivè.

Reſp. 2. neg. conſeq. Quia, ſuppoſita explicatione unitatis, & communicabilitatis à nobis data de unitate conformitatis, & ſimilitudinis, identificatio realis naturæ Petri cum petreitate non impedit, quin poſſit dari alia ſimilis in Petro, & Paulo, cum quibus erit

una

una formaliter, ſeu unitate illa formali, & ſpecifica, & multiplex numericè, ſeu individualiter.

Objicies 3. Si illa humanitas eſſet univerſalis ex ſe, & à parte rei, non poſſet fieri ſingularis; ſed falſum conſequens, ergo, &c. Prob. ſeq. Quia non immutaretur per petreitatem.

Reſp. neg. ſeq. Quia eſt ſimul ſingularis, & univerſalis; eſt ſingularis realiter, & formaliter, eſt univerſalis ratione communitatis eſſentialis, quam habet cum aliis humanitatibus, & ſingularis ratione individuationis, cui realiter identificatur.

CONCLUSIO II.

N*On datur à parte rei univerſale Logicum*. Eſt Doctoris [1] docentis expreſsè, *quod univerſale eſt ab intellectu*, & quidem *effectivè*, *ſed originaliter, ſive occaſionaliter à proprietate in re, & quod non eſt univerſale in actu* (à parte rei) *quia deficit ei illa differentia*, *ſecundùm quam univerſale eſt completivè univerſale*. Et docet, [2] quod *natura à parte rei non eſt univerſalis actu eo modo, quo aliquid eſt univerſale factum ab intellectu*, & natura ſub univerſalitate *eſt conceptus Logici; Logicus enim conſiderat ſecundas intentiones applicatas primis*, ergo univerſalitas Logica eſt ſecunda quædam intentio, ergo eſt ab intellectu ex Scoto, &c.

Prob. autem ratione, quam inſinuat idem Doctor. Quia per id natura recipit formalem univerſalitatem Logicam, per quam conſtituitur proximè prædicabilis de multis per modum unius; ſed natura id habet ab intellectu, ergo & univerſalitatem. Prob. Ut natura fiat prædicabilis proximè de multis per modum unius, debet cognoſci eſſe in multis per modum unius: ſed non poteſt ſic cognoſci, niſi per actum intellectus conſiderantis eam præcisè à ſingularitatibus, & comparantis eam iiſdem ſingularibus, in quibus illam ſic videt multiplicatam, ergo, &c.

Objicies. Nullo cogitante intellectu verum eſt dicere, Petrum, & Paulum eſſe ejuſdem ſpeciei; ſed ſpecies eſt formaliter univerſale Logicum, ergo univerſale Logicum eſt à parte rei.

K 2 Reſp.

[1] *q. 4. univ. ad 3. & ad 4.* [2] *in 2. q. 1. H. n. 7.*

Reſpond. diſt. major. Eſſe ejuſdem ſpeciei fundamentaliter, conc. major. formaliter, neg. major. Petrus, & Paulus habent ſimiles naturas, ſeu unam naturam unitate ſimilitudinis, ex qua ſumit intellectus fundamentum concipiendi illam per modum unius, & prædicandi illam de ſingulis, hoc ultimum dicitur univerſale Logicum formaliter, & proximè prædicabile de pluribus.

Colligis hinc, quòd univerſale metaphyſicum eſt ſolummodò fundamentum univerſalis Logici. Illud dicitur univerſale inchoatum, iſtud verò actuale, & completum, unde Scotus [1] dicit, *intelligendum, quod univerſale completum eſt, quod eſſe in pluribus, & de pluribus prædicabile non actu, ſed potentia propinqua, & tale nihil eſt, niſi ex conſideratione intellectus*. Quis non miretur tot Philoſophos citare Doctorem hunc in contrarium, ſcilicet pro univerſali à parte rei?

QUÆSTIO VI.

De cauſa effectiva univerſalis, ſeu per quam operationem intellectus natura accipiat formalem univerſalitatem Logicam.

HAbemus ex præcedenti quæſtione, quòd ad Logicam univerſalitatem intervenit operatio intellectus, ſaltem abſtractiva, per quam conſiderat naturam, quam denominat univerſalem ſine ſingularitate, ſed non diximus, an talis abſtractio ſufficiat ad illam univerſalitatem, & id examinandum eſt in præſenti quæſtione.

Nota 1. Operationem intellectus aliam eſſe *abſtractivam abſolutam*, aliam *comparativam*. Notitia *abſtractiva* eſt ea, qua intellectus conſiderat rem unam ſeparatim ab alia, cum qua identificatur realiter, verbi gratia, quando conſidero humanitatem, quæ eſt in Petro, non cogitando de rationalitate, illa notitia dicitur præciſio, & quidem *abſoluta*, quia non refertur ad quidquam aliud. *Comparativa* autem eſt ea, qua natura abſtracta conſideratur in ordi-

[1] *7. metaphyſ. q. 13. n. 19.*

ordine ad aliud ,verbi gratia, humanitas in ordine ad Petrum, & Paulum, animalitas in ordine ad Petrum, & bucephalum, &c.

Rursùs Comparativa, alia eſt *ſimplex*, alia *compoſita*. Eſt *ſimplex*, ſi fiat non judicando, non affirmando, vel negando, & eſt *compoſita*, ſi fiat cum judicio, ſeu affirmando, vel negando aliquid de illa, verbi gratia, dicendo, animalitas eſt in Petro, & bucephalo, &c.

Nota 2. Quòd intellectus dici ſolet *agens*, & *patiens*. Dicitur *agens*, quatenùs applicatus objectis efformat, & exprimit ſpecies, ſeu imagines eorum, & dicitur *patiens*, quatenùs in ſe recipit illas ipſas ſpecies, ſeu imagines, ac per eas quaſi informatur, & redditur intelligens. Species,ſeu imagines, ut productæ ab intellectu agente, dicuntur *expreſſæ*: & prout receptæ in intellectu patiente, dicuntur *impreſſæ*, verbi gratia intellectus reſpiciens Petrum, & conſiderans naturam ejus præciſè ſecundùm prædicata ſua eſſentialia, efformat imaginem ejus, quæ repræſentat humanitatem ſecundùm ſe, velut abſtractam à petreitate, ad quam non attendit; & hæc dicitur operatio intellectus agentis, & ſpecies expreſſa humanitatis: quatenùs verò in ſe recipit illam imaginem, & per illam fit intelligens, per humanitatem ſic abſtractam, dicitur patiens, & illa eadem imago dicitur impreſſa.

Quæritur ergo hic,an natura denominetur formaliter, & Logicè univerſalis per illum actum abſtractivum abſolutum intellectus agentis, an verò per abſtractivam comparationem intellectus patientis.

CONCLUSIO I.

UNiverſale Logicum non fit formaliter, & completivè per abſtractionem intellectus agentis,aut patientis, nec per actum comparativum compoſitum, ſed per ſimplicem. Eſt Doctoris [1] cum ſuis, & aliis, etiam Thomiſtis. Dicit enim, aut ſupponit ubique univerſalitatem eſſe denominationem relativam natam ex actu collativo intellectus, *conſiderans enim naturam hominis unam in multis,& de multis ab ali-*

[1] *q.11.univerſ.§.tertio modo.*

qua proprietate in natura ſic conſiderata movetur ad cauſandam intentionem, & illam cauſatam tribuit illi naturæ, &c. Vides actum comparativum naturæ ad multa, quibus in eſſe cognoſcitur? & clariſſimè docet, [1] quod *natura non ſit univerſalis per intellectum agentem, & antequam in intellectu poſſibili habeat eſſe objectivè, & quidem non eſt tale, cui potentia proxima convenit dici de qualibet*, &c.

Concluſio tres habet partes. 1. eſt de actu *abſtractivo*. 2. de actu *comparativo compoſito*, & 3. de *comparatione ſimplici*, per intellectum poſſibilem, ſeu paſſivum.

Prob. 1. pars. Per id natura fit formaliter, & completè univerſalis Logicè, per quod fit proximè prædicabilis de multis: ſed hoc non fit per actum abſtractivum, ergo univerſale non fit formaliter, & completè per actum abſtractivum. Maj. patet ex definitione univerſalis Logici. Prob. min. Tunc natura eſt proximè prædicabilis de multis, quando conſideratur in illis: ſed non conſideratur in illis per abſtractionem, ergo, &c. Prob. min. Quia per abſtractionem potiùs conſideratur extra multitudinem, & à multitudine ſeparatur, & intelligitur, ut una, ergo, &c. Hoc autem totum verum eſt de intellectu tàm paſſivo, quàm agente, ergo, &c.

Prob. 2. pars *de actu comparativo compoſito*, quia natura eſt proximè prædicabilis de multis ante comparationem compoſitam, ergo non fit univerſalis formaliter per illam. Prob. antec. Quia natura per illam comparationem compoſitā actualiter prædicatur de multis, ergo eſt prædicabilis proximè, & formaliter ante comparationem compoſitam. Antec. patet: nam potentia, & aptitudo præcedit actum, ſeu exercitium.

Prob. 3. pars *de comparatione ſimplici*; quia per illam natura redditur proximè, & formaliter prædicabilis, ergo per illam fit formaliter, & Logicè univerſalis. Prob. antec. Nam per illam accipit denominationem, ſeu relationem extrinſecam unitatis ad plura, & cognoſcitur in pluribus, ergo per eandem fit proximè prædicabilis de pluribus.

Objicies 1. contra primam partem. Natura, ut abſtracta à ſingularibus, non eſt ſingularis, ergo eſt uni-ver-

[1] *in 2. d. 3. q. 1. §. ex hoc, n. 9.*

verſalis formaliter. Prob. conſeq. Quia non datur medium inter univerſale, & ſingulare, ergo, &c.

Reſpond.diſting.conſeq. Eſt univerſalis metaphyſicè, & fundamentaliter, ſeu remotè, & incompletè (ut cum Scoto [1] dicam) conc. conſeq. Logicè, & formaliter neg. conſeq. & ſimiliter diſt. ant. Prob. Ratio negati facilè patet ex fundamento concluſionis; non enim eſt proximè, & completè prædicabilis, niſi cognita in inferioribus, quod non fit per puram abſtractionem, ut dictum eſt.

Inſt. Natura, ut abſtracta, non eſt determinata per ullam ſingularitatem, ergo abſque alia cognitione eſt prædicabilis de multis proximè.

Reſpondeo neg. conſequen. Nam præter illam indeterminationem, ſeu indifferentiam, requiritur, ut cognoſcatur ordo, ſeu aptitudo, quam habet ad plura.

Objicies contra 2. part. Univerſalia conſtituuntur per prædicationem de ſuis inferioribus, ergo prædicatio actualis,ſeu comparatio compoſita facit univerſale. Prob. antec. Non enim definiuntur per prædicabilitatem, ſed per prædicationem: verbi gratia genus definitur id, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus, &c. ergo conſtituuntur per prædicationem actualem.

Reſp.neg.antec. Prob.Per prædicationem in potentia, conc. antec. Per prædicari actu, neg. anteced. & conſeq. Et ratio eſt, quia illud prædicari in definitione univerſalium ponitur loco generis: at univerſale in communi, & ut ſic, definitur per prædicari in potentia, ſeu aptitudine: uno verbo, per prædicabilitatem, ergo ita debet eſſe de ſingulis ſpeciebus univerſalis.

Objicies contra 3. par. Omnis comparatio deſtruit univerſalitatem, ergo univerſale non fit per comparationem ſimplicem. Prob. antec. Quia & univerſalitatem, & unitatem deſtruit, & inducit multitudinem,ergo deſtruit univerſalitatem. Prob.antec.Quia ſic comparando illam naturam ſuis individuis, conjungit eam individuis, ergo,&c.

Reſp.neg.anteced. 1.argum. & diſt. antec. ſecundi. Inducit pluralitatem numericam, conc.anteced. plu-

[1] *in 2.d.3.q.1.n.9.*

ralitatem formalem, neg. antec. & conſeq. Natura enim dicitur univerſalis ab unitate formali, quæ ſtat cum pluralitate numerica, & per hoc completur in ratione univerſalis formaliter per id, per quod reſpicit illam pluralitatem.

CONCLUSIO II.

UNiverſale Logicum fit per operationem intellectus poſſibilis, ſeu patientis. Eſt Doctoris, qui improbat dictum illud, quod *intellectus agens facit univerſalitatem in rebus per hoc, quod denudat ipſum quod quid eſt in phantaſmate exiſtens*, &c.

Prob. autem ratione Scoti jam allata. Nam per illam operationem natura fit formaliter, & proximè univerſalis, per quam fit proximè prædicabilis de multis: ſed id fit tantùm per operationem intellectus poſſibilis, ergo, &c. Prob. Munus intellectus agentis eſt depurare phantaſmata, & transferre illa ab ordine materialium ad ordinem ſpiritualium, munus verò intellectus patientis eſt cognoſcere objecta per receptionem ſpecierum intelligibilium ab intellectu agente formatarum; & per conſequens munus illius eſt comparare naturam abſtractam ad inferiora, ergo munus intellectus patientis eſt, reddere naturam proximè prædicabilem de ſuis inferioribus; antec. patet ex omnium conſenſu. Prob. conſequen. Quia, ut diximus, natura fit proximè prædicabilis de ſuis inferioribus per comparationem ejus ad illa, ſeu per hoc, quod cognoſcitur eſſe una in illis, ut diximus, ergo, &c.

Prob. 2. Quia probabile eſt, ut dicetur ſuo loco, quod intellectus agens abſtrahit quidem naturam, & depurat eam à materialitate phantaſmatum, ſed non à ſingularitate, ergo natura ne fundamentaliter quidem fit univerſalis per intellectum agentem.

Objicies auctoritates aliquas Scoti, [1] qui videtur docere contrarium, ver. grat. cùm dicit, quòd *intellectus agentis eſt facere de non univerſali univerſale*; & quodl. 15. N. ubi docet, quòd *intellectus agentis virtute... de repræſentativo ſingulari gignitur repræſentativum univerſale, vel intelligitur translatio in obje-*

[1] *in 1.d.3.q.6.D.n.8.quodl.15.N.n.15.*

objectis de corporali ad ſpirituale, vel de ſingulari ad univerſale, ergo, ex Scoto, univerſale fit per operationem intellectus agentis.

Reſpondent aliqui Scotiſtæ, Doctorem fuiſſe hac in re problematicum. Alii, quòd loquitur de univerſali habituali, non de actuali: ego verò reſpondeo, quòd debet intelligi de univerſali fundamentaliter, & remotè, vel negativè, ſeu incompletè, non formaliter, & proximè, & completè, vel de univerſali in repræſentando, quatenùs ſpecies, quam intellectus agens exprimit de natura aliqua abſtracta, repræſentat naturas ſingulares, non verò de univerſali in prædicando, quia ad hoc requiritur, ut intellectus agnoſcat illius unitatem in pluribus, v. gr. in ſingularibus ſuis, ut diximus ex eodem Scoto. Dixi etiam, *univerſalem negativè*, quia natura, præciſè ut abſtracta à ſingularitatibus, non eſt univerſalis, niſi negativè, id eſt nec univerſalis, nec particularis, ut ſæpè dictum eſt ex eodem Scoto.

QUÆSTIO VII.

De prædicabilitate univerſalis, quomodo univerſalia prædicentur de inferioribus ſuis.

NOn ſufficit dicere, quod univerſale Logicum conſiſtit in prædicabilitate de multis: dicendum eſt, quomodo id fiat. Pro quo

Suppono, Prædicationem eſſe actum, quo intellectus aliquid de alio judicat. Quod autem alteri tribuitur, dicitur *prædicatum*, & illud, cui tribuitur, dicitur *ſubjectum*, & quidem *ſubjectum prædicationis*, ad differentiam *ſubjecti inhæſionis*, vel *informationis*.

Prædicatio alia eſt *vera*, alia *falſa*, alia *affirmativa*, alia *negativa*. *Prædicatio vera* eſt, per quam judicatur de re, prout eſt in ſe: *falſa* è contra, qua judicatur de re aliter, quàm eſt in ſe: *affirmativa* eſt ea, qua aliquid aſſeritur de alio; & *negativa*, qua aliquid removetur ab alio. Rurſus *affirmativa*, alia eſt *formalis*, alia *materialis*, ſeu *identica*, & *cauſalis*: *formalis* eſt ea, qua aliquid tribuitur alteri per modum formæ, & hoc vel *formæ totalis*, ſeu *eſſentia-*

lis, vel *partialis*, vel *ſubſtantialis*, vel *accidentalis*. *Identica* verò eſt ea, qua idem prædicatur de ſe ipſo, ut ſi dicas *Petrus eſt Petrus*, vel de alio, cum quo unitur ratione materiæ, vel ſubjecti, ut cùm dicis, *album eſt dulce*, loquendo de lacte, in quo dulcedo, & albedo uniuntur, & iſtæ propoſitiones verificantur ratione ſubjecti in ſenſu prædicto.

Cauſalis eſt, cùm cauſa prædicatur de effectu: ut ſi dicas: *ira eſt accenſio ſanguinis circa cor*, vel *homo conſtat ex anima, & corpore*: nam accenſio ſanguinis, quæ prædicatur de ira, eſt ejus cauſa; & corpus, & anima ſunt duæ cauſæ intrinſecæ hominis.

Denique *prædicatio formalis* alia eſt *directa*, ſeu *naturalis*, alia *indirecta*, ſeu *innaturalis*. *Directa* illa eſt, in qua id prædicatur, quod eſt aptius prædicari, & ſubjicitur, quod debet ſubjici. *Indirecta* verò è contra, in qua prædicatur, quod deberet ſubjici, & ſubjicitur, quod deberet prædicari. Id autem debet prædicari, quod eſt univerſalius, & ſubjici, quod eſt minùs univerſale; ut ſi dicas: *homo eſt animal*, eſt prædicatio directa; & hæc: *animal eſt homo*, eſt indirecta. Si verò duo termini ſint æqualiter oppoſiti, aut extenti, & communes, prædicantur directè de ſe invicem, ut *riſibile eſt rationale*, aut *rationale eſt riſibile*.

2. Revocanda ſunt in mentem, quæ diximus de *concretis*, & *abſtractis*, & addendum, quòd concretum aliud eſt *ſubſtantiale*, aliud *accidentale*; primum illud eſt, quod ſignificat aliquid in forma ſubſiſtens, ut *homo*, qui ſubſiſtit in humanitate, vel ſignificat formam, quæ poſſit prædicari *in concreto*, & *in quid*; ut petenti, quid ſit homo, rectè reſpondes, eſt animal rationale. Vides animalitatem, & rationalitatem, quæ importantur per modum formæ per concretum, *homo*, prædicari in concreto, dicitur etiam *concretum ſubſtantivum*, quia prædicatur ſubſtantivè, & non per modum adjacentis, ut cùm dicis, *homo eſt albus*, album dicitur adjectivè. Concretum *accidentale* eſt illud, quod ſignificat formam, quæ ſit extra eſſentiam ſubjecti, ut album: vel quæ non poſſit prædicari de re ulla, niſi in quale contingenter, ut album nigrum; & talia dicuntur etiam *concreta adjectiva*, quatenus formæ illorum ſignificantur

tur per modum adjectivum, ut album, nigrum, doctum, &c.

Similiter *abſtractum ſubſtantivum* dicitur forma omnis, quæ eſt de eſſentia ſubjecti, à quo abſtrahitur; ver. grat. humanitas, rationalitas, animalitas, &c. *adjectivum*, ſeu *accidentale*, quod non eſt de eſſentia ſubjecti, à quo abſtrahitur, ut albedo, nigredo, doctrina, &c.

Repete etiam, quæ diximus de concretis, & abſtractis *primæ*, & *ſecundæ intentionis*, item de abſtractis *ultimata*, & *non ultimata abſtractione*. His autem ſuppoſitis, quærimus, quomodò naturæ, quæ dicuntur univerſales, prædicentur vel de inferioribus, vel de ſe invicem in concreto, vel in abſtracto: omnis enim prædicatio fit vel in concreto, vel in abſtracto, & id quatuor modis: primò concretum dicitur de concreto, ſecundò concretum dicitur de abſtracto, aut tertiò abſtractum de concreto, & quartò abſtractum de abſtracto.

CONCLUSIO I.

Concreta ſuperiora poſſunt verè, & formaliter de ſuis inferioribus prædicari, ſive ſint ſubſtantialia, ſive accidentalia. Ita communiter.

Prob. Quia ad formalem prædicationem requiritur tantùm, ut prædicatum ſit in ſubjecto, & de illo prædicetur per modum formæ: ſed concreta ſuperiora ſic ſe habent reſpectu inferiorum, ergo poſſunt prædicari de illis verè, & formaliter. Min. prob. quoad ſecundam partem, nam certa eſt prima. Prædicari per modum formæ eſt prædicari per modum prædicati eſſentialis; ſed, quoties concretum ſuperius prædicatur de inferiori, prædicatur hoc modo, ergo, &c. Prob. min. Nam dicere, *Petrus eſt homo*, verb. grat. idem eſt, ac ſi dicatur, *Petrus eſt habens humanitatem*, ſed hoc eſt prædicari per modum formæ, ergo, &c.

CONCLUSIO II.

Abſtracta non prædicantur de ſuis concretis prædicatione formali, nec etiam concreta de ſuis abſtra-

ſtractis. Eſt etiam communis cum Doctore [1] v. gr. non rectè objicitur, humanitas eſt homo, albedo eſt album, nec è contra, homo eſt humanitas, album eſt albedo, &c.

Prob. 1. pars. Quia intellectus non poteſt prædicare aliquid de alio, niſi cognoſcat illud ineſſe ſubjecto, ſed abſtractū, ut tale, non apprehenditur ineſſe ſubjecto, ſed potiùs abeſſe, ergo abſtractum nō prædicatur de ſuo concreto prædicatione formali: min. ſupponitur ex definitione abſtracti: nam, ut tale intelligitur velut avulſum à ſubjecto, ſeu concreto.

Probatur etiam 2. pars eadem ratione, nam abſtractum, ut tale, non conſideratur, ut inexiſtens ſubjecto, ſed ut ſeparatum, ergo concretum non poteſt prædicari formaliter de illo, ſeu per modum formæ illi adjacentis.

Confir. concl. quoad utramque partem; Quia quando dicitur prædicatione formali, albedo eſt album, ſignificatur, quod albedo eſt ſubjectum habens albedinem, & quando dicitur album eſt albedo, ſenſus eſt, quod album, & albedo ſunt idem, ſed utrumque eſt falſum in his ſenſibus, ergo & prædicatio.

Objicies 1. Quod hæc regula non eſt vera in divinis: nam hæc prædicatio vera eſt, & formalis, *Deus eſt Deitas*, & iſta, *Deitas eſt Deus*, ergo abſtractum poteſt verè, & formaliter prædicari de concreto, & concretum de abſtracto.

Reſpond. 1. neg. antec. quoad ſecundam partem, ſcil. quòd ſit formalis; eſt quidem vera, ſed identificè, non formaliter.

Reſpondeo 2. neg. conſequ. Nam loquimur hìc de concretis, & abſtractis creatis, & finitis, non de increatis, & infinitis: de iſtis enim eſt alia ratio, cur ſic de ſe invicem poſſint prædicari, quia, ex Doctore, quodlibet infinitum ratione ſuæ infinitatis exigit ſibi conjungi omne, quod illi non repugnat; unde, licèt abſtractum in divinis videatur, ut tale, ſeparatum à concreto, adhuc illi ineſt propter infinitatem, & ideò adhuc de illo eſt prædicabile.

Objicies 2. Hæc prædicatio vera eſt, *quantitas eſt quanta*, & iſta, *linea eſt longa*: ſed *quantitas* eſt abſtra-

[1] *in 1. d. 5. q. 1. E. n. 5.*

abſtractum, & *quanta* eſt concretum: idem eſt de linea, ergo concretum poteſt prædicari de abſtracto ſuo.

Reſp. neg. maj. abſolutè, & in tigore. Nam in bono ſenſu, quando dicitur, *quantitas eſt quanta*, eſt quaſi diceres, id, quo res habet extenſionem, eſt id, quo habetur extenſio, & hoc etiam falſum eſt. Forma enim ſe habet, *ut quo*, & concretum, *ut quod*, & hęc non debent confundi, & confunderentur in ſimilibus prædicationibus.

Ad id, quod dicitur de linea, reſpondeo, neg. min. Nam *linea* non eſt abſtractum *longi*, ſed forma ejus: ipſa enim Linea eſt habens longitudinem. Præterea dici poſſet, hoc eſſe peculiare in prædicamento quantitatis, ut ſit & menſura aliorum, & menſuratum ab aliis, & ſe habeat ſimul *ut quo*, & *ut quod*, ſed non eſt idem de concretis, & abſtractis aliorum prædicamentorum.

Objicies 3. Hæ propoſitiones ſunt veræ, & formales, *humanitas eſt ens*, *humanitas eſt ſubſtantia*, *eſt animal*, *albedo eſt colorata*, &c. Sed in his concreta prædicantur de ſuis abſtractis, ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam humanitas eſt quidem abſtractum hominis, non verò entis, nec ſubſtantiæ, nec animalis, ſed verè includit gradus illos, & generaliter loquendo, regula illa, quam in concluſione ponimus, intelligenda eſt de abſtractis reſpectu propriorum concretorum, non verò aliorum, quamvis ſint ſuperiora, mediata, & univerſaliora, ut ſunt *ens*, *ſubſtantia*, & *animal* reſpectu humanitatis. De albedine major eſt falſa: nam aliud eſt dicere, quod ſit color, aliud, quod ſit colorata. Nam coloratum dicit colorem in ſubjecto adjacentem.

Objicies 4. Hæ prædicationes veræ ſunt, *entitas eſt ens*, *res eſt realitas*, ergo concreta prædicantur de abſtractis, ut in 1. & abſtracta de concretis, ut in 2.

Reſp. diſt. Sunt veræ identicè, conc. ant, formaliter, neg. ant. Nam falſum eſt, quòd entitas, ſeu formalitas abſtracta ab *ente*, ſit habens *ens*, &, quod *res* ſit formaliter idem, ac *entitas*, quamvis *entitas* ſit aliquid *entis*, & *res* ſit habens *realitatem*, non è contra, quia res non adjacet realitati.

Notandum tamen, quòd ſolent admitti plures hu-

juſ-

juſmodi propoſitiones, vel propter uſum, vel propter identitatem, ſeu in ſenſu identico, ſed in rigore logico non ſunt legitimæ.

CONCLUSIO III.

Abſtractum concreti ſuperioris nequit prædicari de abſtracto concreti inferioris, nec formaliter, nec identicè, v.g. non poteſt dici verè, & formaliter, rationalitas, vel humanitas eſt animalitas. Eſt Doctoris citati [1] cum ſuis, & aliis.

Prob. Intellectus non prædicat unum de alio, niſi quatenus conſiderat illa, ut conjuncta, ſed intellectus non conſiderat duo illa abſtracta, ut conjuncta, ſed potiùs, ut ſeparata, ergo non poteſt verè illa ſic prædicare. Prob.min. Quia conſiderans animalitatem in abſtracto, non conſiderat illam, ut inexiſtentem, aut adjacentem, vel conjunctam humanitati, ſed potiùs, ut avulſam ab ea, ergo, &c.

Confirm. Quia hæc propoſitio non eſt vera in ſenſu formali, *homo eſt humanitas*, ergo nec iſta erit vera, *humanitas eſt animalitas*. Prob. conſeq. Non magis animalitas conjungitur humanitati, quàm humanitas homini, ergo ſi non licet prædicare humanitatem de homine, nec etiam licebit prædicare animalitatem de humanitate, quamvis à parte rei humanitas includat animalitatem, & homo humanitatem.

Objicies. Hæc prædicatio eſt vera, *albedo eſt color*, ſed albedo, & color ſunt duo abſtracta concretorum, ſuperioris, & inferioris, ergo, &c.

Reſp. ut jam dixi diſt.min. Sunt abſtracta diverſorum concretorum, conc.min. ſunt abſtracta reſpectu ſui invicem, neg.min. & conſeq. Nam albedo non eſt abſtractum reſpectu coloris, ſed reſpectu albi, & color non eſt abſtractum reſpectu albedinis, ſed reſpectu colorati; non ita eſt de humanitate reſpectu animalitatis, nec de animalitate reſpectu humanitatis, ſunt enim formæ abſtractæ à ſe invicem, & ideò nequeunt de ſe invicem prædicari.

CON-

[1] *In 1.d.5.4.1. E. & d. 18. q.7. n.25.*

CONCLUSIO IV.

C*Oncretum abſtracti ſuperioris non poteſt prædicari de abſtracto inferiori*, v.g. animal de humanitate. Eſt etiam Doctoris, [1] & aliorum.

Prob. Quoties prædicatum importat aliquid, quod non involvitur in ſubjecto explicitè, vel implicitè, prędicatio nequit eſſe vera, ideò nequit dici de corpore, vel de anima, quòd ſit homo, ſed humanitas importat aliquid, quod non continetur in prædicato illo, *animal*, nec explicitè, nec implicitè, ergo animal non poteſt prædicari de humanitate, ſaltem formali, & propria prædicatione. Prob. min. Nam humanitas importat rationalitatem, quæ non continetur in animali, nec explicitè, nec implicitè, ergo, &c.

Confirmatur. Quia nullum totum poteſt prædicari de parte ſua, ſed humanitas eſt pars ſubjectiva animalis, ergo animal non poteſt prædicari de humanitate in abſtracto.

CONCLUSIO V.

P*Ro concretis, & abſtractis 2. intentionis ad invicem eædem ſunt regulæ prædicabilitatis, quæ de concretis, & abſtractis 1. intentionis*. Eſt etiã communis.

Prob. Quia quantum ad prædicationem inter abſtracta, & concreta parùm intereſt, quòd ſint 1. vel 2. intentionis, ergo, ſicut abſtracta primæ intentionis non prædicantur de abſtractis, ita eſt de abſtractis 2. intentionis. Prob. ant. Quia, ut prædicatio ſit vera in quibuſcunque prædicatis, requiritur, & ſufficit, ut inſint ſubjectis, ſicut de illis enunciantur, ergo eadem eſt ratio, &c.

Iſtæ igitur, & ſimiles propoſitiones ſunt formaliter veræ, *genus eſt univerſale, ſpecies eſt univerſale*, & iſtæ falſæ, *genus eſt univerſalitas, genereitas eſt genereitas*, in ſenſu formali.

CONCLUSIO VI.

S*Ecundæ intentiones in concreto poſſunt prædicari de naturis, quibus convenit ſimilis prædicabilitas ipſis.*

[1] *Ibid.*

ipſis correſpondens, non verò de ipſis naturis in abſtracto, nec de inferioribus in concreto, *v.g.* dicere licet, *animal eſt genus*, non autem *animalitas*, aut *Petrus eſt genus*. Ita communiter.

Prob.1.pars. Quia animal habet eandem prædicabilitatem, quam habet genus, ergo poteſt prædicari de ipſo, quod eſt genus, & hoc nihil aliud ſignificat, niſi quod animal habet rationem generis, & hoc verum eſt. Ita dici poteſt, *homo eſt ſpecies*, &c.

Prob. 2. pars. Quia animalitas eſt abſtractum ab animali, & à genere, & ut tale non concipitur, ut concernens, aut adhærens, vel inexiſtens animali, vel generi, ergo, ut tale, non poteſt de illo prædicari; item non eſt verum, quod *homo ſit genus*.

Prob.denique. Quia falſum eſt, quòd homo, vel Petrus poſſit prædicari de pluribus ſpecie differentibus; ergo non poteſt dici, *homo eſt genus*, nec *Petrus eſt ſpecies*, quamvis homo contineat animal, & Petrus hominem, quæ ſic denominantur. Hæc magis uſus docebit, quàm regulæ.

Nota autem, ut jam inſinuatum eſt, has regulas valere tantùm in creatis, in quibus prædicata, & gradus entis ſunt limitata, non verò in divinis, ubi omnia ſe ſe includunt invicem propter infinitatem, atque etiam propter ſingularem, & ſummam ſimplicitatem, v.g. in divinis propter illam identitatem tolerantur iſtæ, & ſimiles, *eſſentia divina eſt bona*, *eſt ſapiens*, *eſt ſumma*, &c. quamvis falſæ ſint in modo ſignificandi, non verò ſic tolerantur in creatis.

QUÆSTIO VIII.

Quotuplex ſit univerſale.

Poſtquam de natura, & proprietatibus univerſalis in communi fusè ſatis diſſeruimus, ad diviſionem ejus deſcendimùs in quinque vulgatas ſpecies à Porphyrio aſſignatas, videlicet, *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens*, & examinamus hìc, an illa diviſio ſit legitima.

Suppono ex dictis, conditiones univerſalis eſſe, quòd ſit terminus incomplexus, prædicamentalis, inexiſtens multis, ſeu aptus dici de multis, & univocus. Quo ſuppoſito, ſit

CON-

CONCLUSIO.

Quinque ſunt univerſalia, tàm Metaphyſica, quàm Logica, & non plura. Eſt communis, & ſupponit Scotus, dicens, [1] quòd *univerſale univocè prædicatur de omnibus iſtis quinque*.

Prob. de Metaphyſicis. Tot ſunt univerſalia Metaphyſica, quot ſunt modi diverſi, quibus natura aliqua poteſt communicari pluribus, ſed hi ſunt quinque, & non plures, ergo, &c. Prob. min. Omnis natura communis eſt vel tota eſſentia, vel pars eſſentię materialis, ſeu contrahibilis, ſeu potentialis, vel pars eſſentiæ actualis, & contrahens, ſeu determinans, & conſtituens, vel aliquid accidentale, inſeparabile, aut ſeparabile. Si tota eſſentia, eſt *ſpecies*, ſi pars potentialis, & determinabilis, eſt *genus*, ſi pars eſſentiæ determinans, & actualis, eſt *differentia*, ſi quid extra eſſentiam, & inſeparabile, eſt *proprium*, ſi ſeparabile, & contingens, eſt *accidens*, at nihil excogitari poteſt pertinens ad naturam communem, quod non revocetur ad unum ex iſtis, ergo ſunt tantùm quinque modi eſſendi in multis.

Prob. de Log. Tot ſunt ſpecies univerſalis Logici, quot ſunt modi prædicandi de pluribus, ſed hi ſunt tantùm quinque, ergo, &c. Prob. min. Quia modi prædicandi de multis ſequuntur modos eſſendi in multis, ſed modi iſti ſunt quinque, & non plures, ergo, &c. Min. probata manet ex 1. parte.

Prob. 2. ex Doct. [2] aliis verbis potiùs, quàm ſenſu. Quidquid prædicatur de multis, prædicatur vel in *quid completè*, vel in *quid incompletè*, vel in *quale quid*, ſeu eſſentialiter, vel in *quale convertibiliter*, vel in *quale contingenter*, ſi 1. eſt *ſpecies*, ſi 2. eſt *genus*, ſi 3. eſt *differentia*, ſi 4. eſt *proprium*, ſi 5. eſt *accidens*, ergo ſunt tantùm quinque ſpecies univerſalis Logici.

Objicies 1. contra 1. partem. Non datur aliquid commune, quod poſſit abſtrahi ab omnibus naturis metaphyſicè univerſalibus, ſed hoc requiritur ad multiplicationem ſpecierum univerſalis, ergo non ſunt plures ſpecies univerſalis metaphyſici. Prob. maj. ex Doctore negante dari naturam ullam genericam à parte rei, quæ ſit omnibus naturis genericis com-

[1] *De univerſ. q. 8. n. 3. fin. de q. 13. n. 2.* [2] *Ibid. n. 5.*

communis, alioquin daretur genus generis, ergo, &c. Reſp. diſt. ant. Aliqua natura, una, realis, & poſitiva, conc. ant. natura formalis, quatenus naturæ omnes communes in hoc inter ſe conveniunt, quòd pluribus communicantur, neg. ant. & conſeq. Ad probationem dico, Scotum loqui de genere reali poſitivo, quod non aſſerimus, nec eſt neceſſarium in caſu noſtro.

Inſt. Non eſt major ratio, cur detur aliquid commune naturæ ſubſtantiali, & accidentali, quoad inexiſtentiam pluribus, quàm univerſali poſitivo, & rationis, ſeu fictitio: ſed non datur quid commune iſtis, ergo nec illis debet dari.

Reſp. diſt. maj. Secundùm entitatem, & modum proprium exiſtendi, conc. maj. ſecundùm modum exiſtendi in pluribus præcisè, neg. maj. & conſeq. diſtincta ſimiliter minori. Nam eadem ratione philoſophandum eſt de entibus realibus, & rationis, quantum ad modum exiſtendi in multis, quamvis in ſe diverſa ſint, tanquam entia à non entibus.

Objicies 2. Naturæ Angeli, Hominis, Bovis, Avis. &c. ſunt communes pluribus, ſed ſunt pluſquam quinque, imò innumeræ, ergo & univerſalia metaphyſica.

Reſp. neg. conſeq. Quia licèt omnes naturæ illæ inter ſe differant ſpecie, tamen non differunt in modo eſſendi in ſuis individuis, & ſic in univerſalitate conveniunt.

Objicies 3. Si accidens, & proprium eſsent univerſalia, tot eſſent univerſalia, quot prædicamenta, ſed falſum conſequens, ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. propter rationem mox allatam.

Objicies 1. contra 2. partem. Non debent eſſe plura univerſalia, quàm inferiora: ſed hæc ſunt tantùm duo, ergo & illa. Major patet ex Ariſtotele, Quia tot modis dicitur unum oppoſitorum, quot alterum, univerſale autem, & ſingulare ſunt oppoſita, ergo non debent eſſe plura univerſalia, quàm inferiora, & ſic ſunt tantùm duo. Prob. etiam min. primi argumenti. Quia quidquid exiſtit, eſt *ſpecies*, vel *individuum*, ergo ſunt tantùm duo inferiora.

Reſp. neg. maj. abſolutè. Nam, quia album, & nigrum ſunt oppoſita, non ſequitur, tot eſſe debere nigra, quot alba. Philoſophus ergo loquitur de modis

dis ſignificandi, quia, quot ſunt ſignificata albi, tot ſunt ſignificata, nigri, & ſic illa regula non facit ad propoſitum.

Reſp. diſt. min. Sunt tantùm duo inferiora materialiter ſpectata, conc. min. formaliter, neg. min. Inferiora materialiter ſunt ipſæ naturæ ſecundùm ſe, prout exiſtunt, formaliter verò ſunt ipſæmet ſpectatæ ſecundùm modum inexiſtendi in ſuis inferioribus, & prædicandi de illis, & ſic ſunt quinque.

Inſt. Modi prædicandi ſunt plures, quàm quinque, ergo & univerſalia Logica. Prob. ant. Modus prædicandi generis ſupremi, & ſubalterni eſt diverſus à modo generis infimi, & idem eſt de ſpecie ſubalterna, & atoma, ſeu infima: idem de proprio, ergo, &c. Prob. ant. Quia genus ſupremum, ſeu ſubalternum prædicatur de pluribus non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere differentibus, infima autem de multis ſpecie tantùm differentibus; ſpecies ſubalterna de pluribus etiam ſpecie differentibus: infima verò de multis numero tantùm differentibus, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſeq. Nam illæ differentiæ ſunt tantùm accidentales, eſſentialis autem differentia modorum illorum petitur ex eo, quòd prædicetur de pluribus magis, aut minùs differentibus, v. g. quòd ſubſtantia prædicatur de naturis corporea, & ſpirituali, & ſic de pluribus, quàm animal, ſed ſemper eodem modo, ſcil. *in quid incompletè*. Quoad ſpeciem autem aliud eſt, nam ſola infima eſt propriè ſpecies, ſubalterna verò non dicitur talis, niſi reſpectu generis ſuperioris, non autem reſpectu inferiorum, ut dicemus infrà. Ita eſt de proprio, ſive enim ſequatur ad naturam genericam, ſive ad ſpecificam, ſemper prædicatur in quale convertibiliter.

Objicies 2. Prædicabilia ſunt coordinationes prædicamentorum, ſed prædicamenta ſunt decem, ergo & prædicabilia.

Reſp. diſt. maj. Coordinationes ſecundùm modum ineſſendi, & prædicandi, conc. maj. ſecundùm numerum, aut gradum entis, neg. maj. & conſeq. Prædicamenta autem omnia non habent modos eſſendi, vel prædicandi, niſi quinque aſſignata.

Objicies 4. Ens prædicatur de multis, ergo eſt univerſale: ſed non pertinet ad ullum ex quinque

que numeratis, ergo ſunt plura.

Reſp. Ens prædicatur tranſcendentaliter,conc.maj. univerſaliter, & categoricè, neg.maj.& conſeq. quia loquimur hìc de terminis finitis, non de infinitis, ſeu tranſcendentalibus.

Objicies 4. Definitio prædicatur de multis, ſed non comprehenditur ſub illis quinque, ergo ſunt plura.

Reſp. nos hìc loqui de terminis incomplexis, definitio verò eſt terminus complexus. Unde diſt.maj. Prædicatur de multis, ut terminus complexus, conc. maj.ut incomplexus,neg.maj.& conſeq. Prætereà poſſet reduci ad modum prædicandi ſpeciei, quia prædicatur ,ut tota eſſentia, & in quid completè.

Objicies 5. Individuum vagum dicitur de multis, ſed non dicitur de multis ullo ex his quinque modis, ergo ſunt plures.

Reſp.diſt.maj.Dicitur de multis diviſivè,conc.maj. de multis copulativè,neg.maj. Ideò non eſt univerſale, non verificatur, niſi de uno, ſed indeterminato. Nam,cum dicis, *Petrus eſt aliquis homo*,idem eſt, ac ſi diceres, *Petrus eſt hic,vel ille homo*, adeò ut illa propoſitio, & ſimiles non poſſint verificari de uno particulari. Unde termini illi, *quidam, aliquis*, ſunt verè particulares, & non communes, ſed indeterminati, ut diximus.

Objicies 6. In myſterio Incarnationis *homo* prædicatur de Verbo,& Deo: nam dicitur, *Verbum eſt homo*, *Deus eſt homo*, &c. ſed tunc illud prædicatum non pertinet ad ullum ex quinque modis, ergo *homo* in hoc myſterio conſtituit ſextum prædicabile. Min. patet. Nec enim prædicatur, ut genus, nec ut differentia, nec ut ſpecies, neque ut proprium, nec ut accidens.

Reſp. neg. min. & ant. probationis. Nam, quia *homo* in Chriſto eſt omninò extra eſſentiam Verbi, & Dei, illique unitur penitùs contingenter, prædicatur per modum accidentis ſubſtantialis, ut docet Scotus, [1] quia, inquit, *non eſt de ratione ſubjecti* (ſcil.Verbi, aut Dei) *& advenit ſubjecto exiſtenti in actu completo, ita ut poſſit ab eo eſſe*, &c.

Quæres. *Ad quodnam iſtorum reducantur exiſtentia, ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum, ſeu perſonalitas*,

[1] *in 3.d.7.q.1. C. & D.*

tas, unio ſubſtantialis, & ſimiles modi. Quia non ſunt tota eſſentia, nec pars eſſentiæ, ideò non prædicantur, ut ſpecies, nec ut genus, nec ut differentiæ: item non fluunt neceſſariò ab eſſentia, ut proprium, cùm poſſint non ineſſe, & ſunt ſubſtantiales, & non accidentia.

Reſp. nos non admittere plurimos ex illis modis, dicimus tamen, quòd, ſi conſiderentur aptitudinaliter, ſunt proprietates. Illæ enim aptitudines fluunt ab eſſentiis. Si verò ſumantur actualiter, ſunt accidentia, quia poſſunt non ineſſe.

QUÆSTIO IX.

Utrùm illa diviſio univerſalis ſit generis in ſpecies, ſeu, an univerſale ſit univocum illis quinque univerſalibus.

SEnſus quæſtionis eſt, an univerſale, ut ſic, ſit genus reſpectu *generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, & accidentis*, quæ mox enumeravimus, velut ſpecies univerſalis, ſeu, quod idem eſt, an prædicetur de illis univocè, & quidem procedit quæſtio de univerſali formaliter ſumpto, non verò de univerſali materialiter.

CONCLUSIO.

E*St affirmativa* cum Doctore, & aliis ferè communiter.

Prob. Illud prædicatur univocè de pluribus, quod convenit illis ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem ſignificatam omninò eandem: ſed univerſale ſic convenit generi, ſpeciei, &c. ergo prædicatur de illis univocè.

Prob. min. Ratio ſignificata nomine univerſalis eſt eſſe unum aptum ineſſe, & prædicari de multis: ſed hæc ratio convenit generi, ſpeciei, &c. ergo, &c. Prob. mi. De genere verum eſt dicere, quòd ſit unum aptum ineſſe, & prædicari de multis: idem de ſpecie, idem de differentia, & cæteris.

Quod autem ſit genus, patet ex eo, quòd illa univocata ſpecie differant: ſed, quod prædicatur univocè de multis ſpecie differentibus, eſt genus re-

reſpectu illorum univocatorum, ergo, &c.

Objicies 1. Univocata debent participare æqualiter rationem univoci: ſed quinque univerſalia non participant æqualiter rationem univerſalis, ergo univerſale non eſt univocum ad quinque univerſalia. Prob. min. Nam genus eſt prædicabile de pluribus, quàm ſpecies, & differentia: item genus, ſpecies, & differentia prædicantur de pluribus eſſentialiter; proprium verò, & accidens prædicantur accidentaliter: ſed prædicari de pluribus, & eſſētialiter, eſt longè perfectius, quàm prædicari de paucioribus, & accidentaliter, ergo ratio univerſalis, ut ſic, non participatur æqualiter ab his quinque univerſalibus.

Reſp. neg. min. & diſt. majorem probationis. Genus prædicatur de pluribus, quàm ſpecies, & eſſentialiter, &c. Et hoc venit ex differentia ſpecifica talium univerſalium in particulari, conc. maj. ex ratione præciſa univerſalis, ut ſic, neg. maj. & conſeq. Nam, ſicut animal eſt genus univocum reſpectu hominis, & equi, licèt homo ſit nobilior equo, ita & univerſale, ut ſic, erit genus reſpectu primi, & ſecundi, & quinti, licèt ſit ſub aliquibus reſpectibus nobilius, quia illa inæqualitas non petitur ex ratione generali, ac præciſa univerſalitatis, quæ conſiſtit tantùm in aptitudine ad prædicari de multis, ſed ex ratione particulari talis, & talis univerſalitatis.

Objicies 2. Si univerſale, ut ſic, eſſet genus univocum illis quinque univerſalibus, idem eſset ſuperius, & inferius, idem eſſet genus, & ſpecies, & daretur genus generis, ſed conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. Prob. ſeq. Univerſale, ut univocum, & ut genus ad alia, eſſet ſuperius illis, & ſe ipſo in particulari: eſset genus reſpectu primi univerſalis, quod eſt etiam genus, & iſtud genus eſset ſpecies reſpectu univerſalis, ut ſic, &c. ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Idem eſset ſuperius, & inferius, &c. ſub diverſo reſpectu, conc. maj, ſub eodem, neg. maj. min. & conſeq. Igitur univerſale, ut ſic, & ſecundùm rationem communem prædicabilitatis de pluribus, eſset latiùs patens, ſeu ſuperius ſibi ſub ratione talis, vel talis prædicabilitatis de pluribus, v. g. prædicabilitatis de pluribus *in quid incompletè*, quæ conſtituit illud, quod vocatur genus. Et iſtud ge-

genus, ſeu primum prædicabile denominaretur ſpecies, reſpectu univerſalis, ut ſic, & iſta prædicabilitas in quid incompletè denominaretur differentia ſpecifica, conſtitutiva primi illius univerſalis particularis, quod dicitur proprio nomine *genus*, & ſic daretur *genus* commune, & ſupremum reſpectu *generis* particularis. Quid autem ibi eſt abſurditatis, vel inconvenientis? Item iſtud *genus* particulare eſset ſpecies reſpectu illius communis univerſalis, & genus ſecundùm nomen ſuum, & prædicabilitatem ſuam ſpecialem.

Quęres. Quid intelligatur per prædicatum ſuperius, & inferius.

Reſpondeo, prædicatum ſuperius mihi videri eſse illud, quod ſignificat naturam communiorem; & inferius, minus communem, aut ſingularem ſub eodem genere, vel ut alii explicant, ſuperius dicitur illud, quod includitur in alio, ſic, ut ab includente ad incluſum valeat conſequentia, ut animal dicitur ſuperius reſpectu hominis, quia ſic illud includit, & valet hæc conſequentia, *eſt homo*, ergo *eſt animal*. Inferius verò eſt, quod includit aliud, & non valet conſequentia ab incluſo ad includens, v. g. non poteſt dici, *eſt animal*, ergo *eſt homo*, ſecundùm priorem explicationem, *animal* latiùs patet, quàm *homo*, nam illud convenit omnibus brutis æquè, ac hominibus.

Quæres 2. An *genera*, *ſpecies*, & alia univerſalia ſint in rerum natura à parte rei.

Reſp. cum diſtinctione. Si enim ſumantur primò intentionaliter, ſeu fundamentaliter pro naturis, quę ſic denominantur, non eſt dubium, quin plures illarum exiſtant à parte rei, & quin aliæ ſint poſſibiles, ſi verò ſumantur ſecundò intentionaliter, & pro denominationibus illis, ſeu relationibus extrinſecis, quas vocamus, *genus*, *ſpeciem*, &c. non eſt etiam dubium, quin ſint entia rationis, non qui dem fictitia, ſeu chimærica, ſed cum fundamento in re, ut diximus de univerſali Logico, *ut ſic*.

Quæres 3. Sintne materialia, an ſpiritualia.

Reſp. naturas, quæ denominantur, aliquas eſse materiales, & alias ſpirituales. Neque enim repugnant naturæ ſpirituales, quæ denominantur [communes],

munes, & prędicabiles de multis ſpecie, & numero differentibus in quid, vel quale.

Quæres 4. Illa univerſalia ſintne in ſenſibus, ſeu in ſingularibus, an extra ſenſus, ſeu ſingularia?

Reſp. quòd omnes illæ, quę de facto exiſtunt, vel exiſtere poſsunt, ſunt in ſingularibus actualibus, vel poſſibilibus. Nam rejecimus ideas Platonis, & quidquid exiſtit, eſt ſingulare, & nihil exiſtere poteſt, niſi in ſingularibus.

DISPUTATIO IV.

De Univerſalibus in particulari

POſtquam diù deſudavimus in explicanda natura Univerſalis in communi, ad illius ſpecies deſcendimus, ut inde meliùs prædicta intelligantur.

QUÆSTIO I.

De Genere, an, & quid ſit Genus.

INter univerſalia primùm ſe offert genus, quia cæteris eſt communius, & ab eo illa pendere videntur, tanquam à capite, & de illo hìc quærimus, an ſit, & quid ſit.

Nota 1. Generis nomine ſignificari 1. largè, multitudinem, ſeu collectionem eorum, quæ ab uno principio venerunt. Sic Heraclidæ dicuntur genus Heraclidarum, id eſt, generatio illorum, qui ab Hercule deſcendunt. 2. Ipſum principium, à quo hujuſmodi multitudo cepit originem; ſic Hercules dicitur genus Heraclidarum. 3. Illud univerſale, ſeu illam naturam, vel terminum, qui includitur in multis ſpeciebus, ut animal, quod includitur in homine, equo, bove, leone, &c.

Nota 2. Genus hoc 3. modo ſumptum, & de quo deinceps agemus, dividi in generaliſsimum, ſubalternum, ſeu medium, & infimum, *genus generaliſſimum*, ſeu *ſupremum*, illud eſt, quod non habet ſupra ſe aliud genus, *medium*, quod habet ſupra ſe, & infra ſe alia genera, *infimum* denique, quod nullum aliud habet infra ſe, v.g. in categoria ſubſtantiæ, ſub-

ubſtantia ipſa eſt genus ſupremum, vivens eſt medium, & animal eſt infimum.

Nota 3. Genus ſumi, aliquandò *primò intentionaliter*, ſeu *metaphyſicè*, aut *phyſicè*, ſeu *materialiter*; aliquandò *ſecundò intentionaliter*, ſeu *logicè*, ſeu *formaliter*: primū contingit, quandò natura illa, quæ denominatur *genus*, ſumitur ſecundùm ſe, & à parte rei, ut ſi dicas, *animal eſt ſubſtantia ſenſitiva*. Secundum verò, quandò ſumitur ſecundùm univerſalitatem, ſeu prædicabilitatem de multis ſpecie differentibus, ut cùm dicitur, *animal prædicatur de homine, & leone in quid incompletè*. Genus 1. modo non eſt propriè univerſale, ſed ſubſtratum, ſeu materiale univerſalis, & pars phyſica, vel metaphyſica totius eſſentiæ, ut animal reſpectu rationalitatis, ſeu eſſentiæ hominis, 2. modo eſt formaliter univerſale, & in hoc ſenſu hìc de illo agimus.

CONCLUSIO I.

G*Enus à parte rei definitur à Porphyrio: Univerſale, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid*. Ita communiter cum Doctore. [1]

Prob. Quia hæc definitio explicat eſſentiam definiti, ſecundùm id, quod habet commune cum aliis, & quod habet rationem generis, & ſecundùm id, quod habet ſpecificum, ac particulare, & abſque ſuperfluitate, ergo bona eſt. Prob. ant. Nam per *univerſale, quod prædicatur de pluribus*, convenit cum aliis ſpeciebus univerſalis, per id verò, quod dicitur, *ſpecie differentibus*, differt à ſpecie, & per hoc, quod dicitur, *in quid*, differt à differentia, proprio, & accidente, quæ prædicantur *in quale*, & nulla poteſt ibi aſſignari ſuperfluitas, ergo, &c.

Objicies 1. Nihil poteſt definiri, quod non conſtet genere, & differentia: ſed genus non conſtat genere, & differentia, ergo non poteſt definiri. Prob. min. Si conſtaret genere, daretur genus generis, & ſic daretur proceſſus in infinitum: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Prob. ſeq. Iſtud genus, per quod definiretur, eſſet etiam definibile per aliud, & iſtud tertium per quartum, & ſic in infinitum, ergo, &c.

[1] Q. 14. *Univerſ. & q.* 15, *n.* 4. N.

Reſp. neg.min. Loquendo de genere pro conceptu aliquo communi, ſecundùm quem definitum conveniat cum aliis à ſe,& nego etiam ſeq. ſcil. quòd daretur genus generis,ſaltem formaliter: nam definitum prout tale,non eſt genus,niſi materialiter,formaliter verò ſ habet, velut ſpecies,ſcil. velut aliquod totum eſſentiale; nego denique ant. tertii argumenti. Nam tandem aliquandò devenietur ad aliquem conceptum adeò ſimplicem, ut non poſſit definiri,quod maximè verum eſt in ſecundis intentionibus, in quibus ſemper ſiſtimus in 2.intentione talis definiti.

Objicies 2. Sola ſpecies eſt definibilis, ſed genus non eſt ſpecies, ergo non eſt definibile.

Reſp. neg. min. Nam, ut mox dicebam, Genus hìc definitur, ut ſpecies univerſalis.

Inſt. Genus, quod hìc definitur,eſt omnibus generibus commune, ergo non habet ſupra ſe aliud genus, per quod poſſit definiri, alioquin eſſet genus.

Reſp. diſt. conſeq. Aliud genus eſſentialiter, conc. conſeq. accidentaliter, neg. conſeq. Nam univerſale, ut ſic, per quod iſtud particulare definitur, eſt genus per accidens, quia per accidens eſt, quòd ab univerſalibus iſtis abſtrahatur illa ratio communis,ſcil.prædicabilitas de pluribus, in qua conveniunt, ſed iſtud primum univerſale,quod dicitur genus, eſt eſſentialiter tale, & ut univerſale,ut ſic, continet iſtud particulare,velut ſpeciem,& rursùs continetur in eo ſecundùm illam ſecundam intentionem,qua afficitur,cum denominatur genus ad has quinque ſpecies, in quo non eſt inconveniens.

Objicies 3. Per hanc definitionem genus non ſatis diſtinguitur à differentia, imò neque à ſpecie, ergo non eſt bona. Prob. ant. Nam illa dicuntur prædicari *in quid*, per quæ rectè reſpondetur quærenti, *quid ſit res*. Sed quærentibus, *quid ſit homo*, v. g. rectè reſpondemus non ſolum, *quod ſit animal*, ſed etiam, *quod ſit animal rationale*, & ſic reſpondetur per ſpeciem, vel *quod ſit rationalis*, & ideo per differentiam, ergo, &c.

Reſp.neg.ant.& min. probationis. Nam differentia prædicatur in *quale quid*, ſeu per modum qualificantis; genus vero in *quid* præciſè, & per modum *per ſe ſtantis*, & quaſi ſubjecti, quod primum ineſt, *ſpecies*

au-